EPISTOLA PASTORALIS

ARTIBUS PP. SOCIETATIS ET AMPLISSIMI

D. STEIARTII

COMPOSITA

Eiuſdem præconiis altè laudata. Eiuſdem Notis, Aphoriſmis & Theſibus refutata.

COLONIÆ,
Apud Petrum Metternich ad Inſigne Solis aurei 1693.

NAPOLI

PRÆLOQUIUM.

IN aphoriſmis tuis, Eximie Domine, 2. parte diſp. 37. ex Auguſtino lib. de civitate Dei cap. 9. rectè doces: *inter cauſas, ob quas Dominus in hoc mundo bonos pariter cum malis graviſſimis calamitatibus affligit, præcipuam eſſe omiſſionem correptionis.* Verba magni Auguſtini ſunt: *plerumque enim ab eis (malis) docendis, admonendis, aliquando etiam objurgandis & corripiendis malè diſſimulatur: vel cùm laboris piget, vel cùm eorum os coram verecundamur offendere: vel cùm inimicitias devitamus, ne impediant & noceant in iſtis temporalibus rebus, ſive quas adipiſci adhuc appetit noſtra cupiditas, ſive quas amittere formidat infirmitas..... non mihi itaque videtur hac parva eſſe cauſa, quare cum malis flagellentur & boni, quando Deo placet perditos mores etiam temporalium pœnarum afflictione punire. ad hoc enim ſpeculatores, hoc eſt populorum præpoſiti conſtituti ſunt in Eccleſiis, ut non parcant objurgando peccata. Nec ideò tamen ab hujuſcemodi culpâ penitus alienus eſt, qui licet præpoſitus non ſit, in eis tamen, quibus vitæ hujus neceſſitate conjungitur, multa monenda vel arguenda novit, & negligit, devitans*

eorum offenſiones propter illa, quibus in hac vita non indebitu utitur, ſed plus quàm debuit, delectatur.

Expende, vir Ampliſſime, quid juxta hanc, quam adoptaſti doctrinam, judicandum ſit de Epiſtolâ tuâ Paſtorali, quæ multa & multum graſſantia in ſubditis vitia non modò ſilet, ſed & palpat: virtutem verò & ſalutarem Eccleſiæ diſciplinam, earumque cultores acriter perſtringit: falſos & imaginarios defectus in eos, qui tuæ & Societatis doctrinæ non ſatis applaudunt, fabricatur, & ſubditos monet de malis, à quibus eos prædicas immunes, dum ipſe de hac epiſtolâ fateris in præfatione: *publicandam duxi, non tam ut è vobis eliminentur mala, quæ illâ tam ſapienter fortiterque profligantur (vix ſiquidem vos iſta laus ſuperis attigerunt) quam ut eadem ad vos numquam irrumpant.* Expende coram Deo & conſcientia, an præcipuam calamitatis patriæ cauſam & irati Dei flagella non rectius ego juxta tuam & Auguſtini ſententiam tam manifeſtæ correptionis prevaricationi adſcribam, quam tu ea nuper in Illuſtriſſimi Mechlinienſis decreto adſcripſiſti lectioni ſcripturę ſacrę in lingua vulgari.

Verum Epiſtolę tuę Paſtoralis zelum nemo mirabitur, quiſquis non immemor fuerit eorum, quæ anno 1691. contigerunt Lovanij in convivio quodam, quo novi Præſidis celebrabatur lætus introitus, pluribus ex Academia præſentibus. Hic ubi paululum vino, ſed magis bile incalueras, cœpiſti occaſione cantionum quarumdam ructare terribilem ſpumam in fratres tuos, quos rigoriſtas

ſtas vocas. dicebas : *canant, canant : erit finalis cantio, erit cantio cignea. Dies venient, quibus dicent : utinam adhuc viveret D. Du Bois! utinam nobiſcum ſolum ageretur, ut egit ille. Levia ſunt, quæ ille fecit, addam ego duriora. Minimus digitus meus groſſior eſt dorſo ejus : ille vos cecidit flagellis : ego vos cædam ſcorpionibus.* En ſpiritum, en ſcopum, en ſacra conſilia & ſtudia Stejartij pro Academia Lovanienſi : condixerant mutuo convivæ tam atrocem hominis paſſionem pro honore tuo premendam eſſe ſilentio : ſed premi non potuit, erupit non inopportunè, ut notum fiat omnibus, quod ſcire intereſt publici & Eccleſiæ, quo ſpiritu & ſcopo, quo conſilio ſtudioque accuſationes tuas & Epiſtolam Paſtoralem edideris : juvat enim plurimum, nec hoc negaveris ad ſcripti cujuſcumque faciliorem intellectum præſcire Authoris ſcopum & conſilia.

Hæc ubi innotuerunt Patribus Societatis, quantum gaudij attulere iis, qui à condita cenſura anno 1586. jam centum annis & amplius huc uſque adverſus Academiam Lovanienſem ſtrenuè proſecuti ſunt pro accepta labe non deprecandam ultionem. Per hos in famoſo Memoriali Hiſpanico adſcriptus fueras ſectæ Janſeniſticæ pariter cum tota in Belgio religione Præmonſtratenſium, item S. Auguſtini, S. Dominici, Capucinorum, Carmelitarum diſcalceatorum, & congregatione Oratorij : de his modo tuis confœderatis, ac præſertim De P. De Reux anno 1689. in Theſibus de peccatis ignoran-

tiæ tu ipſe lacrymabiliter querebaris: *dignatur à concluſione primâ ethicæ ſuæ nos cum aliis è ſchola noſtra vocare molliores Ianſenij mangones, nobiſque Ianſenium ipſum in magiſtrum aſſignare.* Sed mox ubi certi fuere de juncta ſibi ſatis fideliter contra Academicos Stejartij dextra, Deus bone! quanta mutatio! nequaquam nunc *Ianſenij mango*, etſi profiteatur ſe nihil in doctrina ſua de gratia mutaſſe, ſed *priſcæ diſciplinæ & pietatis retinens vir eſt.* Nunc cum honoribus laudibuſque, quarum non ſunt avari, cumulant: ſicut videre licet paginas integras in ejus præconiis conſumptas apud Joannem Bruſſelium, Didacum de Oropega alioſque.

Videamus ergo conſiliorum ejus quædam ſpecimina. Inſigne ediderat epiſtolâ ſuâ ad Illuſtriſſimum Cameracenſem menſe Julio 1690. hìc gratulatur ſibi repertum ſcorpionem, quo inviſos rigoriſtas concidat: *Non ſine divina*, inquit, *providentia ſimul & clementia factum putavimus, ut in his Hannoniæ partibus præſentes turbæ ad ſummum venerint; quo ſic Eccleſiæ & reipublicæ rectores excitarentur tandem ad manum medicam ſerio admovendam, non hìc tantum, ſed paſſim per Belgium totum .. adhibenda cura receptioni ad munia Eccleſiaſtica, ut ne admittantur ulli de exceſſu & novitate ſuſpecti*, quales omnes cenſebat, quos ſolet appellare rigoriſtas; atque in primis Patres Oratorij Montenſis: verum tam magno Doctore doctior Archiepiſcopus adeo non exaudivit violenta ejus conſilia, ut Patres Oratorij ab impacto rigoris & ſuſpectæ fidei crimine

mine declaraverit immunes, innocenteſque; & quod amplius eſt, D. Le Compt majoris Collegij alumnum, ingenio & pietate præſtantem, cui Præſes Stejartius hoc pro teſtimonio dederat: *Ne tamen aliquid ſuperiores lateat, quod poſtea infraſcripto imputetur, addictus idem eſt rigidiora ſectantibus*, cui aliâ poſtea occaſione teſtimonium etiam recuſavit propter rigoriſmi flagitium, hunc Illuſtriſſimus Cameracenſis conſtituit [Ampliſſimo Domino altum ſuſpirante, proh dolor!] Seminarij ſui digniſſimum Lectorem.

Sic ſcorpio ille contritus eſt: mox alium inſtaurat. Eo ipſo tempore, quo in præfato convivio tam moroſus erat, quam ſolent ſimili opere impedita cætera animalia, incubabat illis duobus ſupra quadraginta ovis putridis [totidem articulis contra Hugenium alioſque] quæ tam ingentem, ſed nulli majorem, quam ſuis excluſoribus, fœtorem attulêre; ſed hic rurſus redactus eſt ad canem album cum nigro, ad duos articulos, ut latius in hac cauſa tractatum eſt.

Quid nunc? quieſcet Stejartius? nequaquam, ſed voti reus pejus implere ſatagit, quod malè promiſerat: *Ille vos cæcîdit flagellis, ego vos cædam ſcorpionibus.* Occaſionem opportunam videbantur offerre arma, quæ publicus Moliniſta ex Academia Duacenſi Lector in Seminario Namurci fabricaverat eo tempore, quo nitebatur Epiſcopus privare Canonicum quemdam officio Decani, ad quod erat à Capitulo legitimè electus, & in illud invito

Capitulo ſuum Secretarium intrudere; atque tunc proponebat jurandum factum Janſenij, declaratâq; futurum convictum hæreticum, quiſquis hoc jurare detrectet, etſi etiam abjuret propoſitiones quinque in omni ſenſu in quo eas damnavit Pontifex & Eccleſia. Lectoris Moliniſtæ conſilium arridet Stejartio, Jeſuitis & Patri Gys, & conſequenter Illuſtriſſimo Mechlinienſi. Mox illud ſtrenuè mandant executioni: rurſus totum Belgium turbatur, ſcribitur, clamatur, arcentur ab ordinibus, à miniſteriis, à ſacris omnibus doctrinâ & pietate præſtantes, donec negotium illud Romæ latius examinandum mandat iterato ſacra Congregatio relinqui intra terminos, in quibus reliquerat Illuſtriſſimus prædeceſſor Alphonſus.

Stejartius interim tum in hac, tum in altera 42. Articulorum cauſa vociferatur, fremit, appellat centies ad Sedem Apoſtolicam: *in nomine Domini eamus Romam, eamus Romam.* Gloriatur Epiſtolâ ſuâ primâ *paratum ſe eſſe vel ſolum, vel addito ex illis ſocio legationem iſtam ultro obire.* Igitur circa Paſcha præteritum anni 1692. decernitur utrimque à Steiartio & Hennebellio Romanum iter circa Septembrem ſuſcipiendum. Propoſitum utriuſque toti Univerſitati congregatæ exhibetur, unanimiter probatur, utrique parti promittitur indifferenter omne præter pecuniam, ſubſidium: ex communi, quam utraque pars acceptaverat, reſolutione Univerſitas negotium itineris probandum offert per litteras ſuæ Sanctitati & Majeſtati

Regię

Regiæ. Reſpondet per breve benigniſſimum ſua Sanctitas, probatum ſibi gratumque fore decretum iter. Similiter ex parte ſuæ Celſitudinis Bavaricæ promittuntur utrique parti commendationis litteræ. Itaque uterque ſarcinas componit, & Stejartius quidem futuri diſceſſus ſui diem palam publicat tum ſæpius in Collegio ſuo, tum per totam Diœceſim Silvæducenſem, quam ideo circa Pentecoſten per ſex, vel ſeptem ſeptimanas viſitat, & ex viſitatione non parvam pecuniæ ſummam pro viatico itineris Romani colligit. Poſtea ineunte Septembri ecce Hennebellius fretus ſuæ cauſæ juſtitiâ accingitur alacriter itineri. Quid agat Stejartius? quid aliud quam ire Romam? imò verò potius Bruxellas ad Conſilium Statuum confugit, iteratos offert libellos ſupplices, quibus iter Romanum humillimè deprecatur: circumcurrit, angitur, tergiverſatur, neſcio quid pertimeſcens ſive aſperitates Alpium, ſive nimios Romæ calores, ſive caſuram fortè in caput ſuum petram aliquam Eccleſiæ Vaticanæ, ſive aliud aliquid. Sic iter Hennebellij diebus aliquot, quibus opus erat ad libellis illis reſpondendum, retardare ſtudet, aut impedire; ſed nequicquam impedit. Solus domi manet, qui ſolus legationem illam ultro obire obtulerat.

Ergo etiam ſpes illa jacet, quâ terrêre ſperaverat adverſarios legatione Romanâ. Quo nunc Stejartius? rurſus ad quadraginta duas accuſationes. Has jam pridem contritas ſtatuit iterum, poſtquam

hęc

hæc cauſa univerſa Romam delata eſt, in Belgio vagis clamoribus renovare. Verum ut ſanctè accuſare videatur, fuco Epiſtolæ Paſtoralis ſuam ſtropham adornat. Hic contra conſcientiam accuſationes repetit, à quibus ipſe accuſatos abſolverat: Fatetur enim epiſtolâ ſuâ quartâ: *nunc quoque eatenus acquieſcimus, ut quod dicunt ſe non ſentire ex articulis accuſatis, planè credamus.* Si planè id credis, cur de articulis objectis, v. g. de violatione ſigilli, & ſimilibus, quos planè profeſſi ſunt ſe non tenere, rurſus eoſdem per Epiſtolam Paſtoralem atrociter accuſas?

Sed ecce inſidias & artificioſa conſilia. In vigilia S. Martini 1690. Stejartius cum ſuo conpatre Harnæo fœtum ſuum quadraginta duorum articulorum ſignant, ſuum illi dant nomen, clam exponunt, & ſtudiosè inſinuant miniſtris Eccleſiæ & Reipublicæ, quibus ſua fidunt myſteria: ſperantes totam hanc tragœdiam poſt cortinas agere. Sed ſpe fruſtrati opportunum duxerunt ut hâc Epiſtolâ Paſtorali Illuſtriſſimi Primatis Belgij per zelum ſingularem confirmarentur omnes penè accuſationes quadraginta duæ. Quis Romæ vel aliis in locis à Belgio remotioribus, ſi articulos hactenus occultos nec refutatos, ut futurum ſperaverant, confirmari vidiſſet hujuſmodi Epiſtolâ Paſtorali, non credidiſſet non calomnioſam eſſe accuſationem factam per 42. articulos, & quaſi conſecratam per Epiſtolam Paſtoralem? nimirum per ſcriptum hujuſmodi, quod vel ſolo

ſuo

ſuo nomine nil niſi verum, niſi pium & ſalutare promittit, ſed tantum promittit, ut quo blandius, eo efficacius ſæviat: *ut enim* (verbis utar Epiſtolæ Paſtoralis c. 2. & 3.)*nobiliſſimum ciborum ac delicatiſſimum genus, quale erat olim apud Romanos Boletus, hodièq; eſt, quod & facile venenum ſuſcipit, & tegit, ſi multitudini apponatur, ingentem edit hominum ſtragem, & quia voratur avidius, & quia nullâ ſe parte malum prodit, ita libri* (& præſertim Epiſtolæ Paſtorales) *quo res tractant magis pias, magisq; caleſtes, ſi contingat ſimili nequitia fermento eſſe reſperſos, hoc amplius nocere nati ſunt, & mentibus ſimplicium inferre perniciem; vulnus quippè acceptum eſt, priuſquam perſentiſcant, quando illic nil niſi pium, niſi ſanctum, niſi divinum hauriri poſſe Lectores ſperant. Non aliundè faciliùs pernicioſa doctrina venenum bibitur, nec altius ſubit incautorum animos: præſertim cum non propinetur apertè, ſed miro artificio & obſcurâ quâdam ambage verborum, quâ plurimùm uti amant malarum mercium propôla. Vbi regnat ſæpius meretricia eloquentia* (ſicut gloriatur Stejartius hanc Epiſtolam Paſtoralem, *doctiſſimè juxta ac graviſſimè nec non eloquentiſſimè ſcriptam eſſe*) *quæ nihil fundit niſi roſas & lilia, quas interſerpat ſubtiliter aconitum; ubi inter ſententiarum optimarum gemmas noxius & penè inaſpectabilis pulvis inſpergitur, malignâ manu temperatus ad lentam, eoque interdum certiorem perniciem.*

Interea dum Epiſtola hæc Paſtoralis jam publicata non parum turbarum in Belgio excitat, & per illam

illam ſibi triumphum canit Steiartius : ecce deferuntur à conſilio Statuum litteræ ad Academiam, quæ ſervire pro reſponſo poſſunt ad libellos ſupplices, quibus iter Romanum Martinus ab eodem conſilio tam enixè fuerat deprecatus. Aperiuntur, leguntur in corona Univerſitatis. En copiam.

LE ROY.

Venerables, chers & bien-aimez.

AYant vû ce que vous avez repreſenté par diverſes Requeſtes au ſujet des controverſes émuës depuis quelques années en noſtre Univerſité de Louvain par la faculté en Theologie en matiere de la Religion, & qu'il convient qu'elles ſoient au plûtoſt terminées & aſſoupies, en ſe ſoûmettant en tout & par tout à la deciſion de ſa Sainteté, nous vous faiſons la preſente à la deliberation de nôtre Gouverneur General de Pays-bas, pour

REX

Venerabiles chari & multùm dilecti.

VIſis iis quæ per varios libellos exhibuiſtis circa negotium controverſiarum, quæ ab annis aliquot in Academia noſtra Lovanienſi per facultatem Theologicam motæ ſunt in materia Religionis, cumque conveniat eas quantocius terminari & ſopiri ſubijciendo judicia in omnibus, & ubique ſuæ Sanctitatis deciſioni, Nos per præſentes ex deliberatione noſtri Gubernatoris Bel-

vous

vous dire, que comme nous ſommes informez, que le Docteur Hennebel ſeroit déja parti vers la cour de Rome à la meſme fin, vous ayez à faire tous les efforts poſſibles pour perſuader le Docteur Steyart à entreprendre pareillement le meſme voyage ſans remis & concourir à la deciſion d'un ſi grand ouvrage. A tant Venerables, chers & bien-aimez noſtre Seigneur vous ait en ſa ſainte garde.

De Bruxelles le 2. de Novembre.

gij vobis indicamus utcũ informati ſimus Doctorem Hennebel in eundem finem ad Aulam Romanam jam diſceſſiſſe, conemini omnibus, quibus poſſibile fuerit, viribus perſuadere Doctori Steiart, ut ſine mora idem iter pariter ſuſcipiat, concurratq; ad negotij tam magni deciſionem. Interea venerabiles chari & multùm dilecti Deus vos ſuâ ſanctâ protectione ſervet incolumes.

Bruxellis 2. Novembris.

Summâ, ut par eſt, veneratione & plauſu exceptæ ſunt litteræ. Unanimi conſenſu totius Univerſitatis deputati ſunt, qui juxta litterarum tenorem totis viribus, quibus foret poſſibile, conarentur Doctori Steiart ad iter Romanum calcaria ſubdere. Suaſerunt, quantum potuere, ſed perſuadere non fuit poſſibile. Poſt meridiem in Collegio ſuo Stejartius cogit concilium, accurrunt Jeſuitæ, tota Belgij Societas ſudat, ut in aula Romanum Stejartij iter deprecetur, ut à capite confœderati tam obſcuram nubem depellat. Jam Ampliſſimus Dominus cauſatur infirmam valetudinem. Sic

pari-

pariter ſe nuper excuſare tentabat à probandis ſuis accuſationibus in præfatione Epiſtolæ ſuæ ad Illuſtriſſ. Cameracenſem. *Quantò minus ſufficiam* (ad reſpondendum ait) *tantus nunc diſtentus occupationibus alijs & in valetudine non admodum firma*? ſcilicet expeditus & robuſtius eſt ad accuſandum : impeditus nec ſatis ſanus ad accuſationes probandum. Cauſatur ex Diœceſi Silvæducenſi & Collegio ſuo negotiorum molem angelicis humeris formidandam : ſe nihilominus ad Romanum iter paratum eſſe, ſi vocet ſua Sanctitas. Sic per potentis Societatis interceſſionem ſperabat ab Alpibus liberari. Spargit deinde per eximium D. Confratrem Damen reſponſa Româ veniſſe, quibus declaratur excuſationes Steiartij ſuæ Sanctitati probatas eſſe, quodque in Collegio de propaganda fide jam locus ei, ſi placuiſſet venire, paratus eſſet cum annua pro magnis viri meritis penſione nongentorum florenorum. Aurea profecto nuntia!

Sed mox alia adfert claudus, ut aiunt, tabellarius, obnuntiat mandare ſuam Sanctitatem, ut Ampliſſimus D. Stejartius ſe Apoſtolico ſiſtat Tribunali. *Voila toutes nos meſures rompuës*! inquit Illuſtriſſimus Mechlinienſis, en jacent omnia conſilia noſtra! idem erat Stejartio altum ſuſpirium. Quo nunc ſe vertat in ſummis anguſtiis? Romam? ſed nihil inde poſt tot tergiverſationes Urbi & Orbi notas niſi petras & fulmina in caput ſuum auguratur : non ignorat, quam non vagis clamoribus res ibi agenda ſit. Quo ergo? Bruxellas? ſolatium

&

& illic abſtulere præcedentes litteræ. O infauſta illa vigilia S. Martini 1690. magis infauſta vox quæ primum Romam appellavit, & tamen de cauſæ ſuæ triumpho non dubitat; ſi in juſto Tribunali tractetur. Nihilominus adhuc Romanum iter declinat, hæret, circumſpicit undique rimas & effugia. Hinc menſe Januario 1693. in congregatione Univerſitatis confitetur quidem ſe accepiſſe à ſua Sanctitate de ſuſcipiendo itinere mandatum, ſed hoc imputat ſparſo Romæ rumori, quod deputatus ſit ab Univerſitate, quare poſtulat ut hæc vel declaret eum non eſſe deputatum, vel ſi deputatum agnoſcat, ſolvat legationis expenſas atque tunc ſe iturum circa Martium.

Quo te Ampliſſime Domine conſtringunt anguſtiæ? jam ipſe refellis præcipuas tuas excuſationes de infirma valetudine, de negotiorum mole. Offers diſcedere ſi Univerſitas offerat expenſas. Sic una jam reſtat excuſatio defectus viatici, quam vana, quam frivola, ut nemo ignorat, qui præter penſionem nongentorum florenorum, quæ teſte Doctore Damen te Romæ exſpectat in Collegio de propaganda fide, præter viaticum, quod præcedenti æſtate per diuturnam viſitationem è Diœceſi tua collegiſti, novit annuos tuos proventus ex cumulatis officiis & Præſidis majoris Collegij Theologorum, & ſtrictæ facultatis Theologiæ, & Canonicatus S. Petri, & Vicariatus Apoſtolici Silvæducenſis.

Scilicet Vir Ampliſſime, niſi fortius cogaris,

mavis

mavis [quæ tua eſt prudentia & pro pace Belgij cura] vagis accuſationibus & inconditis clamoribus turbare omnia, quam poſt tam crebra & ſolemnia promiſſa te Apoſtolico ſiſtere Tribunali. Vide an non merito nunc tibi applices, quod poſit :|ulter. Gallo dicebas : *fugâ tibi conſulis ex eo genere; quod neſcio an non gallicè defaites aliquando vocetis : numquam puto viderit Gallia in eo genere pulchriorem.*

Ignoſce ergo Ampliſſime & Eximie Domine, quod pauliſper doctrinam tuam cum epiſtola :tua paſtorali conferam; ut nulli non manifeſtum fiat. 1. Quam fortiter tuam epiſtolam paſtoralem ipſe refutaveris, & tibi contradicas. 2. Quam tibi cordi ſit fratres tuos Academicos, alioſque Eccleſiaſticos, nunc clam, nunc palam ſive per verum ſive per falſum in odium publicum trahere. 3. Quam verè dixerit ſapiens eccli. 3 : *Cor ingrediens duas vias non habebit ſucceſſus.* Ad hæc non utar doctrinâ, ſive quam junior ſive quam etiam doctor, dum Collegij Pontificij ſalem comedebas, tradidiſti. Non raro enim indicare ſoles, quam tunc non immerito alia ſenſeris. Nempè tanti tibi eſt veritas. Iis dumtaxat utar, & hoc ſemel moneo, quæ docuiſti poſtquam edidiſti palam hanc profeſſionem : [a] *Cui interim libuerit exponimus doctrinam noſtram nominatim culpandam: publicè in nos dicant, quod privatim ſuſurrant. Sed noſtram dico, non Lovanienſium, Duacenſium, Pariſienſium, aut quorumcumque privatorum. Quorum docti-*

(a) *Theol: moral. emend. f. 26.*

doctrinam ſi quandoque æſtimamus, non magis tamen præſtamus quam Alcoranum.

Multa prætcribo in epiſtola ſive quæ refutatione non egent, ſive quæ dudùm refutata ſunt, & refutantur indies multis argumentis ſub quibus fatiſcis & obmuteſcis, ſive ea quæ ſpecialiter concernunt Diœceſim Mechlinienſem cujus defenſionem aliis relinquo. Ea potiſſimum notabo, quæ concernunt 1. tuas contradictiones 2. tuas aliorum iniquas accuſationes 3. tuam Diœceſis Silvæducenſis, cui hanc paſtoralem edis, adminiſtrationem. Poſtremo depulſis fictorum & imaginariorum defectuum larvis veros defectus exhibebo, in quos utilius, quam nunc feciſti, zelum exerceas. Boni conſule, ſi non dicentis libertatem, ſaltem dicendorum veritatem; vereor enim ſi tua epiſtola paſtoralis ſine correptione tranſeat, ne juxta Auguſtini & tuam ipſius doctrinam, Deus graviſſimis calamitatibus bonos cum malis affligat. Ergo à titulo epiſtolæ auſpicemur.

Epiſtola Paſtoralis Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Domini D. Humberti Guilielmi a Præcipiano Dei & Apoſtolicæ Sedis Gratia Archi-epiſcopi Mechlinienſis ſuper præcipuis Eccleſiæ Belgicæ turbis.

RESPONSIO.

Ecce in ipſa fronte pro cognoſcendo Epiſtolæ ſcopo, quem non ſine ratione Illuſtriſſimus Mechlinienſis in titulo occultaverat, addit Stejartius, *ſuper præcipuis Eccleſiæ Belgicæ turbis*. Ecce inſignem Paſtoralis epiſtolæ, quæ Pontifici dicitur oblata, falſificationem & alterationem, quæ epiſtolam univerſam ad præcipuas determinat Eccleſiæ Belgicæ turbas. Quas ego (addere poterat) præcipuè excitavi per vagas, clancularias, & iniquas accuſationes. Has quidem probare non potui,ſed nec modo probare poſſem, atque ideo nec Romam (quo tota hæc cauſa delata eſt) ibo niſi coactus. Attamen eaſdem pro pace Eccleſiæ Belgicæ decrevi in Belgio renovare hâc Paſtorali Epiſtolâ *ſuper præcipuis Eccleſiæ Belgicæ turbis*.

Quis poſſit vel ſuſpicari, quod Sedes Apoſtolica præcipuas illas Eccleſiæ Belgicæ turbas, quas jam ad ſe delatas habebat, quas ſuo dumtaxat tribunali diſcuti & finiri cupiebat, ad quas finiendas jam utramque partem Romanum iter pollici-

tam per expreſſum breve benigniſſimè ad ſe invitaverat, quod eas, inquam, turbas voluerit renovari in Belgio? quis non merito timeat, ne plures fortè hujuſmodi additiones alterationesque epiſtola (ſi tamen fuerit Romæ oblata) paſſa ſit poſtea ab hominibus hujus artis non imperitis? an propter hæc & ſimilia Ampliſſimus Stejartius tantopere abhorret ab alpibus?

Si potius, quam vagas, & iniquas accuſationes, libuiſſet edere epiſtolam verè paſtoralem, oſtendit hæc cap. 5. utiliorem præſtò fuiſſe materiam: *ſeu peſtis*, inquit, *ſeu fames*, *ſeu bella ingruant*, *quibus tanto jam tempore propter deficientem in nobis Chriſti ſpiritum*, *& quotidiana populi flagitia premimur &c.* Hæc reformatio morum & deficientis ſpiritus Chriſti potius, quam præcipuæ Eccleſiæ Belgicæ turbæ, quas ipſe excitaſti, & iterum renovas, materia eſſe debuerat epiſtolæ paſtoralis. Sic poſt tempora Calvini, Epiſcopi Silvæ-ducenſes, Metſius in convocatione Synodi exclamat: *ad morum reformationem anhelamus.* Et Maſius in ſua Synodo ad Clerum: *Eccleſiam defendite*, *lupos arcete*, *oves cuſtodite*, *mores corruptos reformate.* Sed altè reclamat veſtra paſtoralis epiſtola Cap. 10. *Neminem faſcinet ſpecioſum reformationis nomen*, *quod à Calvini temporibus merito odioſum eſſe cœpit*, *atque ſuſpectum*, addit deindè rurſus Stejartius.

Per

PEr alios quoque RR. ejuſdem Provinciæ ordinarios adoptata ac à ſummo Pontifice laudata, juſſu Martini Stejartii Vicarii Apoſtolici Silvæ-ducenſis in forma minore & majore cum diſtinctione edita. *Editio IV.*

RESPONSIO.

OPtaſſet Stejartius potuiſſe dicere: per alios quoque RR. ejuſdem Provinciæ Epiſcopos adoptata, ſed non potuit, cum hactenus ſolus & unicus Ruręmundenſis Epiſcopus eam adoptarit. Verum ut poſſet loqui in plurali, ita ut facile exiſtimarent nonnulli eam ab omnibus aut pluribus Belgij Epiſcopis eſſe adoptatam, maluit ſe in eodem ordine cum Epiſcopo Ruręmundenſi ponere, & dicere: *Per alios quoque RR. ejuſdem Provinciæ ordinarios adoptata.* Scilicet per Epiſcopum Ruręmundenſem & Silvæ-ducenſem Stejartium.

Et verò quid magis alienum à ratione eſſe poteſt, quam paſtoralem epiſtolam ſcriptam Diœceſi Mechlinienſi velle tranſcribere Silvæ-ducenſi, ubi alius populus, alia indoles, alii mores, alii defectus: ubi ne decima quidem pars paret Regi Catholico, ſed cæteræ partes omnes cum ipſa Cathedrali Eccleſia Silvæ-ducenſi parent Hollandis, & paſſim mixtos Catholicis Hæreticos habent, & his tranſcribitur epiſtola paſtoralis ſcripta Diœceſi Mechlinienſi. Quid hoc aliud, quam medicaſtrorum inſtar & anicularum ex eadem olla linere quoſcumque morbos & vulnera? unicum exemplum ſufficiat: de prohibitione lectionis Scripturæ

ſacræ in lingua vulgari. Fatêris ipſe in aphoriſmis 2. p. diſp. 13. *Recepta eſt lex & huc uſque ſervata (cum varietate tamen quadam pro genio regionum) in parte Orbis Catholici multò maxima, imo in Orbe merè Catholico toto: ſolum ubi inter Hæreticos degendum fuit, plus indultum eſt.* Et infra de tacito Eccleſiæ conſenſu pro abrogatione ejuſdem legis addis: *Quemadmodum is locis non paucis ubi inter Acatholicos vivitur, habere videtur.* Imo in ſynopſi tua hoc eodem argumento explodis adverſarios: *à partibus acatholicis argumentantur ad catholicas, quaſi non ſubſit multiplex differentia.* Si ſubeſt multiplex differentia, cur tu ſine differentia, ſine varietate pro genio regionum, ſine indulgentia inter Hæreticos lectionem illam cap. 3 vetas Diœceſi Silvæ-ducenſi, ſicut vetatur Mechlinienſi? plura hujuſmodi non difficile foret accumulare.

Quin imò manifeſtum eſt epiſtolam hanc paſtoralem à nemine adoptari poſſe, qui non ſimul adoptat laxiorem Jeſuitarum moralem eorumque principia. Nam 1. conſtat eos hanc epiſtolam, ut mox oſtenditur, compoſuiſſe: Neque ſecundum alia, quam ſua principia. 2. Id ſpecialiter infra ad cap. 13. oſtenditur de facilitate in dandâ abſolutione, quam epiſtola planè definit ſecundum principia Jeſuitarum & Illuſtriſſimi Mechlinienſis de ſufficienti ad juſtificationem cum Sacramento attritione ex ſolo metu gehennæ, de obligatione amandi Deum tantum ſemel ſingulis annis, de gratia ſufficienti ad converſionem omnibus etiam obdu-

obduratis & conſuetudinariis ſemper præſenti dum debent converti. Demonſtratur ibidem quomodo cum oppoſitâ principiis illis doctrinâ nequaquam conſiſtat tanta in dandâ abſolutione facilitas, quantam requirit paſtoralis epiſtola. 3. Hæc inſuper expreſsè in fine ſuæ præfationis ſcopum ſuum dirigit in laxioris moralis adverſarios. *Noſtrum eſt*, inquit, *pro virili noſtrâ graſſanti malo occurrere, & imminentem ſalutaribus conſiliis diſſipare tempeſtatem, animos diſſidentes componere, ad concordiam & ſaniora conſilia compellere, noxias herbas à ſaluriferis ſecernere, inter probam atque improbam doctrinam diſtinguere, ne Chriſtiana plebs ſub fallaci pietatis, reformationis & ſeverioris Ethicæ ſpecie præcipitetur in exitium.* Quam verò putas intelligit doctrinam *noxiam & improbam ſub ſpecie ſeverioris Ethicæ graſſari, tempeſtatem & exitium minari*, cui pro virili occurrendum eſt? profectò non aliam, niſi illam, quam ipſe Illuſtriſſimus, mox poſt editionem epiſtolæ, ut *paci ſalutiq; animarum periculoſam*, damnandam obtulit S. Congregationi in propoſitionibus per Belgium diſſeminatis, atque inprimis doctrinam de referendis operibus in Deum, item de obligatione vivendi ſemper ex fide, ſpe & charitate, item hanc: *ut formaliter pecces, non requiritur ipſius malitiæ notitia, advertentia, dubium vel ſcrupulus*, quam tamen tam certam iudicat Ampliſſimus Stejartius, ut de ejus contradictoriâ edicat in ſuis notis ad 33. *doctrina jam toties à nobis impugnata & donec deficiat, quoad*

 vixero

vixero, impugnanda. Offert inſuper Illuſtriſſimus damnandas has : *Attritio ex puro metu gehennæ inſufficiens eſt etiam adjuncto Sacramento reconciliationi peccatoris.* Item : *dubium eſt ad minimum an attritio ſufficiat cum Sacramento.* Addit ibidem doctrinam Cenſuræ Lovanienſis & juſtificationis convictam eſſe de Janſeniſmo ; pro qua tamen in aſſertione Cenſuræ promittit Eximius Stejartius immobiliter ſtare tamquam pro hæreditate Patrum, pro vinea Naboth, pro aris & focis.

Nunquid ergo lepidum eſt audire Ampliſſimũ Vicarium Silvæducenſem cum Archiepiſcopo Mechlinienſi profitentem in adoptata epiſtola : *Noſtrum eſt pro virili noſtra graſſanti malo occurrere*, nempe noxiæ & improbæ doctrinæ de referendis operibus in Deum, de obligatione ſemper vivendi ex fide, ſpe & charitate, de requiſitâ cum Sacramento attritione amoroſa, doctrinæ quæ cenſet peccari ſine advertentia malitiæ, doctrinæ quæ etiam aſſerere audet Cenſuram Lovanienſem & ejus juſtificationem, quæ de Janſeniſmo convicta eſt.

Cæterum quam cum ingenti Sedis Apoſtolicæ injuria & contra mentem ejus Ampliſſimus Stejartius addat titulo epiſtolæ, *ac à ſummo Pontifice laudata* his rationibus oſtenditur. 1. quia hactenus non probatur, neque verum exiſtimo hanc epiſtolam paſtoralem fuiſſe unquam Sedi Apoſtolicæ exhibitam. 2. Etſi quædam illi epiſtola fuiſſet exhibita tamen arrogatæ laudi reclamant & verba

brevis

brevis & teſtimonij ipſius Archiepiſcopi appenſa ad finem epiſtolæ. Verba brevis ſunt : *Quod attinet ad epiſtolam paſtoralem de qua prædictis in litteris loqueris, zelum tuum jam pridem commendare non omiſimus.* Subjungit Illuſtriſſimus : *Ex brevi Apoſtolico ad nos dato die 27. Septemb. ultimi,quod ſe refert ad aliud breve ante hac ad nos datum.* Non ergo per hoc breve prætendi poteſt laudatam eſſe epiſtolam: qui laudatam vult, producat illud aliud breve, ſi putet illud magis quam hoc epiſtolæ paſtorali favere. Verum ſi magis faveret, jam ultro pridem fuiſſet promulgatum: & verò prudenter admodum, ſi epiſtola aliqua oblata fuit, concepta ſunt verba illa brevis : *Quod attinet ad epiſtolam paſtoralem,* de illa ſcilicet ob juſtiſſimas rationes reſpondere nolumus, ſed alias *zelum tuum jam pridem commendare non omiſimus.* Idem ego tibi Ampliſſime Domine centies gratis dicam : *Quod attinet ad epiſtolam paſtoralem, zelum tuum jam pridem commendare non omiſimus.* Poſtremo jam detectum eſt,quam inſigni artificio & alteratione fronti epiſtolæ Archiepiſcopi addideris : *Super præcipuis Eccleſiæ Belgicæ turbis,*quas credibile non eſt Sedem Apoſtolicam voluiſſe renovari in Belgio, poſt quam eaſdem habebat ad ſe delatas ; diſcutiendas proinde finiendaſque in ſolo ſuo tribunali.

MArtinus Stejartius Vicarius Generalis Apoſtolicus Diœceſis Silvæducenſis & Majoris Collegij Theologorum Lovanij Præſes Clero & ſtudioſæ juventuti ejuſdem reſpectivè Diœceſis ac Collegij ſalutem in Domino.

RESPONSIO.

EXpende Vir Ampliſſime quid facias? ex quavis penè Belgij Diœceſi multos habet tuum Collegium Theologos, & partem quidem maximam ex Cameracenſi & Leodienſi. Vide quantum Eccleſiæ, neque uni tantum Diœceſi, moliris detrimentum, per epiſtolam paſtoralem propinando tuis alumnis tuam bilem, quam poſtea longè latèque diffundant. Adeo non probant cæteri Antiſtites tuas vagas, & iniquas accuſationes, ut ex eis plurimas Illuſtriſſimus Cameracenſis damnaverit decreto ſuo 3. Octobris 1690. alioque recentiori: ſcis tibi ab hac Eccleſia ſcriptum eſſe, ut deinceps crimina, quæ accuſas, deſignares. Scis D. Le Cont, quem ſæpius Rigoriſtam declaraſti, factum eſſe à ſuo Illuſtriſſimo Seminarij Cameracenſis lectorem. Scis quantum tuas accuſationes deteſtetur Eccleſia Leodienſis, ut clarè videre potes in expreſſis ejus teſtimoniis ad refutationem 42. articulorum. Non probant eaſdem Antiſtites Gandenſis, Bruggenſis, Antuerpienſis, nec eorum Eccleſiæ. Quid ergo accuſationes tuas ut à ſummo Pontifice laudatas cum injuria tantorum Præſulum & Eccleſiarum ſubditis eorum, per

per epiſtolam paſtoralem imponis, in menſa cum ſacrâ ſcripturâ prælegis, & in ſacello Collegij ſolemniter explicas & amplificas?

ZElus quem in Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Domino Archiepiſcopo noſtro, ore Apoſtolico laudatum videmus: quique proinde zelus eſſe noſcitur ſecundum ſcientiam, cum aliter laudari minimè mereretur.

RESPONSIO.

VOlve & revolve, Eximie Domine, breve Apoſtolicum: ex eo pro epiſtola paſtorali non plus laudis elicies, quam ex pumice oleum. Iterum tibi dico: *Quod attinet ad epiſtolam tuam paſtoralem, zelum tuum jam pridem commendare non omiſimus.*

HIc, inquam, zelus in Epiſtola Paſtorali zeloſi iſtius Antiſtitis doctiſſimè juxta ac graviſſimè nec non eloquentiſſimè expreſſus, laudem à Nobis aliam non requirit, ſed imitationem.

RESPONSIO.

VIde Ampliſſime Domine, an hic non exerceas mangonium, quod Amplitudini veſtræ objiciebat P. De Reux ſuâ theſi anni 1689. *nos verò mangones vocamus illos qui merces ſuas poliunt, adornant, interpolant, ut aliæ quam ſint videantur, pluriſq́; veneant vel facilius.* Quid hic facis aliud? quid turpius aut vanum magis, quam tam affectatis laudibus extollere fœtum proprium, tuis concepti-

ceptibus, tuis conſiliis & ſtudiis, etſi non tuo ſtilo excluſum ? ſed antiquum tibi eſt hujuſmodi mangonium. Sic in præfatione partis tertiæ notarum in damnatas propoſitiones 110. extollis *ut pluris veneant vel facilius* partes præcedentes *: editio*, inquis, *editionem excepit [quod in theſibus rarum] Flandricam Brabantina.* ſic nuper etiam tuis amicis graviter iraſcebaris, quod formidabilem tuum (*cette redoutable plume*) quem contra Gallum ſtringebas, calamum non plus laudarent. vide ergo an non meritò tibi Gallus cecinerit.

De ſes foibles écrits admirateur unique,
Il plaint avec douleur l'ignorance publique.

HAnc igitur Epiſtolam tam revera Paſtoralem, tam his temporibus utilem, ſicut Illuſtriſſimus ejus Author pro ſuorum utilitate in ſua Archi-diœceſi publicavit.

RESPONSIO.

AUthorem facilè quiſque poteſt agnoſcere, qui hanc confert cum tuâ epiſtolâ ad Illuſtriſſimum Cameracenſem, cum tuis 42. articulis & annexâ concluſione, & cum epiſtola Jeſuitæ qui ſe vocat Joannem Bruſſelium ad ſuam Celſitudinem Bavaricam. Author quiſquis eſt, videri vult græcè peritus Cap. 9. & in antiquitate ac Theologiâ verſatus, deindè ut gloriaris *doctiſſimè juxta ac graviſſimè nec non eloquentiſſimè* ſcribit. Ergo Illuſtriſſimum ejus authorem eſſe non aliter puto vis intelligi, quam tu author es potaſij ſeu obſonij, quod ad votum tuum coquus tuus apparat

ſciens

ſciens quid palato tuo optimè ſapiat: & tu ergo ejuſdem epiſtolæ potiori jure author es: nam tuis artibus & conſiliis cocta, & phraſibus, & ſale, & pipere Jeſuitæ Joannis Bruſſelij ſuas furias hic paululum temperantis aut occultantis condîta eſt.

Si negas, ecce oſtendo ad oculum. Habet Jeſuita Bruſſelius pag. 3. *viſum eſt Gallis in Eccleſiæ Matris ſuæ annos inquirere; amiſſum vigorem priſtinum, rugas ævo diuturniore contractas, fatiſcentes ſenio vires exprobrare: viſum eſt & Belgis. Inconditis queſtibus & vociferationibus Galli cœperunt recoquendam more Medeæ depoſcere, & re ipſa recoquere, ſive ut mollius loquar, reformare: depoſcunt & Belgæ & recoquunt.* Confer cum his quæ habet epiſtola paſtoralis cap. 10.: *Non ſuſpirent ſemper antiqua ſæcula, & primævum in matre ſua ætatis florem vigoremq́ repoſcant, faſtiditis rugis caniſq́ deſpectis ... non eſt filiorum in matris annos inquirere, aut exprobare ſenium, aut novâ metamorphoſi* (ſcilicet more Medeæ) *velle recoquere.* Nunquid ſunt penè eadem verba? ſimiliter Jeſuita Bruſſelius ſuos vocat pag. 5. *priſtinæ diſciplinæ ac pietatis retinentes.* Epiſtola autem paſtoralis in præfatione: *antiquæ diſciplinæ retinentes.* Rurſus Jeſuita de ſuis adverſariis pag. 2. *ſunt namque illis pro facibus libri.* Epiſtola vero paſtoralis Cap. 4. *libros ſuos tamquam totidem faces adhibent ad differendum & diffundendum quaquaverſus incendium.* Plura tam circa eadem argumenta, quam phraſes eaſdem, ultro occurrent utrumque ſcriptum conferenti.

Quam

Quam rident Jeſuitæ, quod Stéjartium Ampliſſimum Dominum tam pulchrè fecerint ſuarum mercium mangonem. Quam ſibi applaudunt de ſuâ virtute politicâ, quâ potuerunt, ut ſunt in hac exercitatiſſimi, Stejartium antiquæ fidei & diſciplinæ retinentem virum in caſſes ſuos induere, & indutum cicurare erga ſe, & efferare in communem hoſtem ad ſecum in Belgio conſpirandum contra noxiam, improbam, gravem ſibi ſeveriorem Ethicam, & prætenſum Janſeniſmum: dum eodem penè tempore per Illuſtriſſimum Mechlinienſem S. Congregationi Romæ damnandas offerunt cum pluribus Stejartij dogmatibus aſſertiones Cenſuræ Lovanienſis ejuſque juſtificationis, addentes eas eſſe de Janſeniſmo convictas. Pro quibus tamen ſe ſtare profitetur publico ſcripto Stejartius, tamquam pro *hæreditate Patrum*, pro ſua *vinea Naboth*, pro *aris & focis*. Hoc potuêre Jeſuitæ? hoc potuere ij, ex quibus non ignobilis author politicam omnium virtutum moralium primam ſtatuit, ac proinde Religione ſuperiorem.

ITa & eamdem in Capita tituloſque diſtinctam ad utilitatem veſtram denuò publicandam duxi: non tam ut è vobis elim...entur mala, quæ illâ tam ſapienter fortiterque profligantur (vix ſiquidem vos iſta, laus ſuperis, attigerunt) quam ut eadem ad vos numquam irrumpant, neque aliquando doctrinis iſtis novis & peregrinis vos ſinatis abduci.

R E S.

RESPONSIO.

NOva & inaudita forma epiſtolæ paſtoralis, quæ ſcribitur ſubditis de ſolis malis, quæ *laus ſuperis, vix eos attigerunt.* Prohiberes Clero tuo frequentationes tabernarum, compotationes in multam noctem, luſus chartarum & alearum, fumationes & uſum tabaci: tunc diceres: *vix ſiquidem vos iſta, laus ſuperis, attigerunt.*

Ignorare non potes necdum è Diœceſi ſilvæducenſi eſſe extirpata vitia, ſed aucta potius, quæ anno 12. hujus ſæculi in eadem graſſari deplorat per orationem ſinodalem à te nuper editam Maſius verè Paſtor & Epiſcopus Silvæducenſis: *alij dediti,* inquit, *voluptatibus carnis, & pompis mundi, alij impliciti negotiis ſæcularibus, alij dediti quotidianis compotationibus & commeſſationibus, alij ludis & jocis intenti, nec non curioſa ſectantes, nam hæc ſunt ferè ſtudia Sacerdotum præſentis temporis, inter quos (proh dolor!) paucos videas ſanctè & ſacerdotaliter vivere, pauciores qui guſtum habeant ac deſiderium rerum cæleſtium: pauciſſimos quos delectet ſtudium S. Scripturæ & meditatio legis Dei... plures certè hoc tempore reperies, qui facilius interrogati denuntiare poterunt, quâ tabernâ melior cereviſia, aut præſtantius vinum promatur, aut ubinam lepus aliquis lateat, aut quibus rebus artibuſque aves capiendæ ſint: uſque adeo alieni ſumus atque averſi ab iis, quæ honeſtatem atque profeſſionem noſtram decent.* Et infra: *ad immolandam ſumendamque ſalutarem illam ac ſacroſanctam*

ctam hoſtiam non tam diſſoluto & impræparato animo, atque impœnitenti conſcientiâ, interdum etiam ore heſternâ crapulâ fatente accederetis. Et tu Vir Ampliſſime non vereris (quæ tua eſt nomine & vice Sedis Apoſtolicæ cura paſtoralis) iis epiſtolam paſtoralem edere, de vitiis, de quibus ipſe fateris: *vix ſiquidem vos iſta, laus ſuperis, attigerunt*: ſed expende an hujus tam manifeſtæ prævaricationis cauſa in Amplitudine veſtra non ſit, quod de muneribus doces Concluſ. Theologico pract. fol. 22.: *ſicut judicium ipſum ſæculare pervertunt excæcando oculos ſapientum, ita & idem in hoc judicio ſacro facere nata ſunt. Quî enim Sacerdos ſeverius aliquid & pro meritis ſtatuet in hominem pœnitentem* QUI QUOTANNIS AUT SÆPIUS MANUS EIUS TAM LIBERALITER INAURAT?

AD hoc Pater luminum cuſtodiat corda veſtra & intelligentias veſtras. Uti ex animo apprecor. Lovanij è Collegio noſtro Majori XI. kalend. Novemb. 1692.

(a) *QVis cuſtodiet ipſos cuſtodes? ipſi cuſtodiendi ſunt ne graſſentur hoſtiliter.*

HUM-

(a) *Steiart. epiſt. ad Illuſ. Camer. & hac epiſt. cap. 2.*

HUmbertus Guilielmus Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Archiepiſcopus Mechlinienſis, Primas Belgij, &c. omnibus Archidiœceſis noſtræ Archipresbiteris, Paſtoribus, &c. Salutem in Domino. Ut primùm placuit Divinæ Providentiæ humeris noſtris ſub minori pondere tantum non fatiſcentibus graviorem ſarcinam imponere, mox decreveramus quandoquidem omnes & ſingulos, qui in partem curarum noſtrarum vocati eſtis, & alloqui & amplecti in Domino coram non licebat) per communem epiſtolam univerſos convenire, quâ Paſtoralem affectum & Paternam ſollicitudinem ſincerè promeremus, & ſui quemque officii, dubiis hiſce & periculoſis temporibus commonefaceremus, aut currentibus ut aiunt, & in commiſſo ſibi grege tuendo vigilantibus adderemus calcar: ita ſuadebat Decretum Synodi Mechlinienſis II. * ita muneris noſtri ratio; ita Sanctiſſimorum ac Sapientiſſimorum Præſulum exemplum. At ingruentium negotiorum mole preſſi hactenùs non potuimus tam ſalutaria conſilia exequi. Et potuiſſet videri fortè nonnullis ſtatus rerum Diœceſis noſtræ nobis non ſatis perſpectus, ſi ſtatim ſcripſiſſemus. Famâ duci nos, & rumoribus malignè ſparſis jactaſſet quiſpiam, quamquam non petitis è longinquo. Nunc poſtquam diligenti ſtudio, conſultis omnis generis, atque Ordinis graviſſimis viris, patrium affectu liberis, deque felici Eccleſiæ ſtatu ſollicitis, explorata & comperta ſunt omnia, non videbimur temerè & injuſtè nonnulla in quibuſdam deſiderare, interdùm etiam queri vel de innovata & corrupta Eccleſiaſtica diſciplina, vel de contentionibus & diſſidiis, quæ quotidiè magis & magis gliſcunt, ſatanâ novam ſemper materiam ſerente, & interſperſis felici tritico zizaniis agrum Dominicum deformante. R E S P O N S I O.

AC per me imprimis (addere poteras) qui tum antea ſæpè, tum quadraginta duos ar-

* *Titulo 16. cap. 2.*

ticulos clam, dum dormirent homines, diſſeminando turbavi Academiam univerſam, & Eccleſiam; contentionibus & diſſidiis incendi omnia: nempè qui in appendice Theologiæ emendatæ nova bella canis: *hi quibus ſolemne eſt*, ais, *omnes ſibi in moralibus fortè graves Baianiſmi aut Ianſeniſmi inſimulare, jam faxo diſcere incipiant habere ſe in iſtis & alios adverſarios, quibus nihil cum Baio aut Ianſenio.* NOVA BELLA ELEGIT DEUS jud. 5. nec nova ſolum, ſed quaſi Hercule bellicoſior utrique parti te pugnare ſolebas gloriari.

SAnè quantum dolorem in animis noſtris hæc velut Civilia & fraterna bella creant, tantum inter vicinos Heterodoxos plauſum excitant & lætitiam, dum mutuis nos vulneribus fatigari jactant, & alternatâ ſtrage rapi præcipites. Neque jactant ex vano. Audiunt penè indies cani claſſicum: libellos legunt amarulentiâ plenos, quibus Catholicum nomen ſcinditur, neſcio quo pretextu pietatis & religionis reformandæ titulo, nihil niſi odium ſpirantes atque vindictam.

RESPONSIO.

SEd quid ad hæc Ampliſſimo Domino reſpondet Eximius Stejartius? *verentur quidam*, ait, *ne ſcandalizentur puſilli & confirmentur Hæretici, cum in Eccleſia turpiſſimi arguuntur errores: ideóque potius tacendum exiſtimant. Sed an fortè non magis confirmabuntur hi, & illi pervertentur, ſi viderint ejuſmodi errorum monſtra, qualia inprimis ſunt hæc de charitatis obligatione* (ſcilicet numquam in de-

curſu

curſu vitæ moralis, aut ſemel ſingulis annis, aut quinquenniis) *nemine contradicēte in Eccleſia teneri?*

VIdent aram aræ oppoſitam, & crucem cum cruce ceu infeſta ſigna concurrere. Hanc animorum tàm fatalem diſcordiam quam magno mercatam velint ipſi, ſponte ſuâ naſci, foverique gaudent, quando interim altâ fruuntur pace, non frui, niſi nos diſſentiremus inter nos. Ut expaveſcerent, ſi mutatis conſiliis, junctis viribus, animiſque ſociatis rueremus in excidium inimicæ gentis, & accepta cœlitùs dona, & quæſita ſtudio, & induſtriâ aucta impenderemus juſtis bellis, & triumphum aliquandò merituris! Nunc abutimur ingenio, litteris abutimur, otium terimus, vires conſumimus, & poſt omnia non niſi de fratribus victis oppreſſiſque gloriamur.

RESPONSIO.

QUis non rideat, Vir Ampliſſime, tuas lacrymas? Nunc claſſicum & *nova bella* canis, & contra partem quidem utramque: nunc canis receptui, & deploras fraterna bella & luctuoſos triumphos. *Abutimur ingenio, litteris abutimur*, &c. cui quæſo in totâ tuâ Diœceſi hæc convenire poſſint præterquam tibi? Quid ergo tibi ſuaſit hujuſmodi fraterna bella & domeſtica diſſidia, quæ incendiſti, apud exteros ſeu hæreticos in tuâ Diœceſi publicare paſtorali epiſtolâ?

JAm ſpes creſcit Hæreticis, animiſque inflantur, cum nonnullos videant ex iis, qui ſe Catholicos profitentur, indies minus & minus à ſuis placitis abhorrere; de Romani Pontificis auctoritate contemptiùs & ſentire & loqui, Eccleſiam ſui illis temporis vileſcere, nihil ſuſpirare niſi antiquam diſciplinam Eccleſiaſticam, non tàm reformandam

poſcere, quàm privatâ authoritate invertere; iiſdem armis uti, quibus uſi fuerint majores ſui, iiſdem pugnare artibus, quamquam minori cum violentiâ, & majori cum vafritie, quibus illi depugnaverint; Religioſas familias, quas ipſi ſemper experti ſint infeſtiores, magiſque habeant inviſas, atrocibus calomniis inceſſi, & tantum non obrui; è Clero viros novitatum oſores, antiquæ diſciplinæ retinentes nihilo excipi clementiùs; ſus deque verti paulatim omnia. Ex hiſce tot malis magnam augurantur ad ſuas partes mox factum iri acceſſionem.

RESPONSIO.

QUam ſtrenuum hic agas Jeſuitarum mangonem ſupra oſtenſum eſt. Interim tot penè iniquas accuſationes, quot verba, fundis. Sed ſic repetis tuam materiam: nempè accuſationem 42. articulorum, ut nulli non manifeſtum eſt, quicumque cum illis contulerit accuſationes epiſtolæ paſtoralis. Ibi fratres tuos accuſaveras de variis erroribus circa authoritatem Pontificis, dilationem abſolutionis, ſigillum, peccatum complicis, lectionem S. Scripturæ in lingua vulgari & librorum prohibitorum, circa indulgentias & ſuffragia pro defunctis, & tandem concludis: *infraſcripti ſacræ Theologiæ facultatis Lovanij Doctores & Profeſſores Regentes atteſtantur ſe ex iis, quæ in hac Univerſitate obſervant quotidie magis, ac magis percipere ſuprapoſita dogmata, quâ clam, quâ palam ſerpere, & circumferri, tradi, & inculcari apud ſcholæ Theologicæ Lovanienſis alumnos, authoribus Gummaro Huygens, aliiſque illi adhærentibus & con-*

confœderatis non ſine ingenti periculo infectionis, non ſolum dicta ſcholæ, ſed etiam Belgij totius, per quod dicti alumni ſparguntur. Datum Lovanij in vigilia S. Martini anno 1690. Signatum erat *P. F. Martinus Harney. Martinus Stejart.*

Et hæc eadem ſunt, Martine, quæ tua epiſtola Paſtoralis velut crambem recoctam repetit, quæque, ut fœtorem & faſtidium tollas, novo facundiæ condimento perfundis, & epiſtolæ paſtoralis fuco mangonum more adornas. Non poteſt hoc non agnoſcere, qui hanc præfationem epiſtolæ paſtoralis inſpicit.

INterim Catholici nominis imperitũ vulgus ſtudia in contraria rapitur, aut hæret incertum, quibus ſe potiſſimum Doctoribus addicat, dum probant hi quod improbant iſti: dum velut ſalutarem doctrinam ac divinitùs datam inſtillari audiunt ab his, quam velut animorum toxicum ac certiſſimam perniciem execrantur iſti, & execrandam monent. Quid agat infelix multitudo, cui non ſatis eſt in grandibus Religionis Arcanis diſcernendis judicii? Quò ſe vertat? quos potiſſimum ſequatur vitæ duces ac magiſtros? Hos audit pingi ut hæreticos, ut morum corruptores, ut Sacrorum profanatores ab illis, illos ab his.

RESPONSIO.

GEneroſè ad hæc reſpondet Stejartius hoc modo: [a] *Nonnullis ſatis videtur, ſi in Theologia morali conſulatur quieti conſcientiæ, & evitentur anxietates. Nobis eatenus hoc approbatur, ut interim non foveantur pernicioſæ laxitates. An enim ſatius non*

(a) *Stejart in notis ad 110, ad concl. 69.*

fuiſſet, ſi cui fortaſſe ſubortæ eſſent centum, quas vocant anxietates, quam ſex tantum hæ damnatæ & damnoſæ probabilitates. Scilicet damnatæ ab Alexandro VII.

HÆrent ut plurimum conſilii inopes pii Fideles, quoties frequentem cibi Euchariſtici ſumptionem cõmendari audiunt, ut habebant à majoribus ſuis commendatam, tamquam alendæ in Deum pietati, & charitati unicè neceſſariam; rurſus deterreri ſe à nonnullis intelligunt, tamquam ab ancipiti & plena periculi medicina.

RESPONSIO.

AUdiviſtis Ampliſſimum, audite Eximium: (a) *Si diebus aliquot abſtinet coniux à coniuge, ne faciat contra quam tanti Sacramenti dignitas poſtulat; ſi eamdem ob cauſam communione abſtinet, qui illuſiones nocturnas nullo aut exiguo cum peccato paſſus eſt: quid erit de fornicario, adultero, molli, nefando, & præſertim (pudor!) Sacerdote? unde qui hos poſtremos adhuc à flagitio recentes mediâ tantum neſcio quâ confeſſione ad menſam atque ipſum altare Domini protrudere non verentur, magnis proinde animis hanc noſtram de conjugibus ſententiam impugnare ſolent.*

NIſi adſit animus terrenis liber affectibus, & humanâ imbecillitate quodammodo altior.

RESPONSIO.

SEd quam facilè dicatur altior & impoſſibilis ſic oſtendit Steiartius: (b) *Praiverat libellus ....* *ubi*

(a) *Concl. Theol. pract. de Euch. c. 10.*
(b) *Stejart in notis ad 110. concl. 88. 82. 29.*

vbi itidem quæritur : vtrum concubinarius poßit abſolvi non remotâ concubinâ R. Videtur quod poßit abſolvi, ſi eam nequeat commodè repudiare & proſcribere. Res enim evadet impoßibilis, cuius nulla eſt obligatio : quippe in moralibus remotâ commoditate removetur potentia, quia denotat commoditatem. Et paulo poſt : *Quia in foro poli id dicimur poſſe, quod commodè poſſumus. Mentem viri nunc puto aſſecuti ſumus, aut ſaltem eam, quam verba præferunt. Fons hujus, & centum aliarum id genus opinionum eſt, quod quibuſdam iterum perſuaſum videatur eas eſſe tradendas in Theologiâ morum regulas, juxta quas nemo propter legem Dei ullum rerum ſuarum detrimentum capere debeat. Sic eſſe temperandas morum regulas, ut nemini incommodo ſint aut detrimento.* Optime Eximie Domine, ſic rectè oſtendis, quam facilè à tuis nunc confæderatis diſpoſitio aliqua dicatur impoſſibilis, & *humanâ imbecillitate quodammodo altior.*

ADducuntur utrimque argumenta & SS Patrum teſtimonia ſpecioſis deducta coloribus, quibus fucum detrahere non eſt niſi Eruditorum.

Neque minùs ambigunt aut affliguntur incerti animis, quoties à ſacris Tribunalibus repelluntur tamquam indigni veniâ, tamquam deſtinatæ orco victimæ, & à ſecunda poſt naufragium tabula dejiciuntur, Sacramenti fructu fruſtrati, à Sacerdotibus priſcam ſeveritatem profeſſis ;

RESPONSIO.

VBi terrarum eſt, Ampliſſime Domine, niſi fortè in tuo cerebro praxis illa, quâ repelluntur à ſacris tribunalibus pœnitentes tamquam

deſtinatæ orco victimæ ? deſigna ſi potes, ubi eſt? *nihil habemus reſponſi*, ais Eximie Domine, *præter fabulas quas viciſſim objiciunt de fœno, induſio humido, & ſi quid aliud fingunt ipſi, vel ab aliis fictum accipiunt.*

QUando interim nullâ factâ mutatione, expoſitâ eodem modo lapſuum ſuorum ſerie, non aliter propoſitâ morum emendatione, eâdem præmiſſâ doloris teſtificatione, ambabus ulnis admitti ſe vident, veniâque donari ab iis, qui non minùs matris ſuæ ſeneſcentis auctoritatem venerantur ac ſuſpiciunt, quàm primùm naſcentis incunabula;

RESPONSIO.

AUdi contra molliores illos detonantem Steiartium [b] *Non ſolum omnium harum propoſitionum* [65] *cenſura demonſtrat, ſed & laxiſſimus quiſque caſuiſtarum admittit, non paucos dari caſus, quibus neganda vel differenda ſit abſolutio. Qui ergo fieri poſſe dicas, ut tot ſint Confeſſarij promiſcuè quibuſlibet audiendis expoſiti, qui etiam in gloria ſua titulis ultro ponant, ſe numquam in vita quemquam ſine abſolutione dimiſiſſe? num fortè vel inde non manifeſtum evadit praxim in re morali adhuc aliquanto corruptiorem eſſe quam theoriam.*

SI tamen tum tam auſtera fuit in occultè reos, quàm nobis adumbrant ætatis noſtræ Severiſtæ.

R E S-

(a) *Steiart concl. Theol. pract. de pœnit. § 21.*
(b) *Steiart ad 110. ad concl. 89.*

RESPONSIO.

STat contra ſeveriſtas Ampliſſimus : ſtat pro iiſdem Eximius ubi ait : (a) *Patet ex hac* (ſcilicet damnatarum 110.) *cenſura* (*quod hodieque pauci adducuntur ut credant*) *eſſe reipſa in Eccleſia exceſſum pernicioſæ laxitatis.* Non *enim alio*, *quam laxitatis nomine centum illi & decem errores damnati ſunt;& Alexander VII. qui damnare primus cœpit*, *diſertè ita queritur initio prioris decreti ſui* : Complures opiniones Chriſtianæ diſciplinæ relaxativas & animarum perniciem inferentes partim antiquatas iterum ſuſcitari, partim noviter prodire, & ſummam illam luxuriantium ingeniorum licentiam indies magis excreſcere, per quam in rebus ad conſcientiam pertinentibus modus opinandi irrepſit alienus omnino ab Evangelica ſimplicitate, ſanctorumque Patrum doctrina, & quem ſi pro recta regula fideles in praxi ſequerentur, ingens irreptura eſſet vitæ Chriſtianæ corruptela. *Quid facerent quidam*, *imo quid non facerent* , *ſi tantumdem haberent adverſus rigorem* , *quod adferrent*?

QUibus habebunt fidem pœnitentes, quando hi veræ pœnitentiæ ac ſalutaris reſipiſcentiæ difficultatem mirum quantùm exaggerant; elevant, & attenuant iſti, pauci auream mediocritatem ſervant ? Hi pœnitentiæ opera vitæque emendationem præmitti veniæ volunt; iſtis ſatis eſt, ſi conſequantur? Hi mulctas à reis exigunt graves, duras, diuturnas: leviores illi, humanæque imbecillitati accommodatiores ? Mutuam hinc atque hinc nonnulli incautiùs, ne

(a) *Ibidem Stejart concl. præmiali.*

ne graviori utamur verbo, peccata condonandi, aut veniæ ſuſpendendæ praxim vellicant, admordent, calumniantur?

RESPONSIO.

QUibus habebunt fidem? quibus? teſtanti ſequentia: (a) *Anno 1677. à Facultate Theologica Romam ablegati ſumus, Doctores ex eadem Facultate duo Franciſcus van Viane ac Chriſtianus Lupus & ego, qui nondum in ea Facultate eram, atque ad Vrbem pervenimus ſub finem Maij eiuſdem anni. Finis noſter nec non ipſius Regis Catholici, Archiepiſcopi Mechlinienſis, Ordinumq; Brabantiæ, qui nos litteris ſuis commendatitiis proſecuti fuerant, hic erat, ut S. Sedi repreſentaremus ſtatum rei Theologicæ in hocce Belgio noſtro, qui erat planè & vix eſſe deſiit, exulceratiſſimus. Cæpimus autem, ſuadente Viro ſummo è Purpuratis, à materiâ morali* (ſignanter circa adminiſtrationem Sacramenti pœnitentiæ)*& adverſantium Theologorum doctrinæ Capita quædam præcipua propoſuimus, S. Sedis iudicium ſuper iis poſtulantes, cui profeſſi ſumus nos ſine exceptione obſecuturos: mutaret, expungeret, damnaret, proſcriberet Sanctitas ſua, quidquid è re Eccleſiæ præſertim Belgicæ noſtræ fore cenſeret. Vix tandem principio Martij 1679. ſecutum eſt iudicium; & ex noſtris quidem articulis nullus, ex aliis vero ad ſexaginta quinque ſummo rei moralis bono ſolemniter proſcripti ſunt.* Atque inter alios hi: *præcepto cōmunionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam corporis Domini manducationem.* Item: *non tenemur Confeſſario interroganti*

(a) *Stejart in aſſert. cenſura f. 13.*

ganti fateri peccati alicuius conſuetudinem. Item: *proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſa aliqua utilis aut honeſta non fugiendi occurrit.* Item, *urgens metus gravis eſt cauſa iuſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi.* Quos omnes, ſaltem in ſubſtantia, modernus Archiepiſcopus Mechlinienſis ſub diſciplinâ Jeſuitarum publicâ theſi defendit, nec hactenus, nequidem epiſtolâ ſuâ paſtorali, publicè retractavit.

(a) *Videſis ingenium eorum qui à ſententijs ſuis modò damnatis generatim tantum recedere ſtatuerunt quantum rigor Cenſuræ invitos cogit* (*multum eſt*, addis infra, *ſi non in terminis tradant*) *damnatum eſt ſufficere actum fidei vel amoris Dei ſemel in vita elicere: ergo*, inquiunt, *eliciendus eſt in vita bis. Damnatum eſt ſat eſſe aureum unum ad cædem furis: igitur*, aiunt, *aureus alter aut ſeſqui requiritur &c. Quid vero etiamnum eos facere exiſtimes, qui harum propoſitionum cenſuram non recipiunt aut ſaltem ſuſque deque habent?* (b) *præ cæteris Apoſtolicæ Cenſuræ cura ad eos pertinere videatur, qui in ea impetranda* (*abſit moleſtiſſimo verbo inuidia*) *nonnullam partem habuêre.*

Sic Doctorem Lovanienſem loqui decet, Eximie Domine, ſecundum hæc reſponde Ampliſſimo D. Vicario Silvæ ducenſi & ejus Epiſtolæ Paſtorali. 1. praxim Lovanienſium in remittendis & retinendis peccatis te præſente fuiſſe Romæ examinatam.

(a) *Stejart in notis ad 110. concl. 32, 37, 66.*
(b) *Ibidem concl. proëm.*

natam & nihil ibidem fuiſſe paſſam, ac proinde nihil debere pati in Belgio. 2. Te partem nonnullam habuiſſe in impetranda Cenſura Apoſtolica articulorum quos ſub diſciplina Jeſuitarum defendit Illuſtriſſimus Mechlinienſis, conſequenter te eamdem Cenſuram debere tueri. 3. Te etiam nullam doctrinæ ſocietatem poſſe inire cum iis, *qui harum propoſitionum cenſuram non recipiunt, aut ſaltem ſuſque deque habent, qui à ſententiis ſuis modo damnatis generatim tantum recedere ſtatuerunt, quantum rigor cenſuræ invitos cogit, multum eſt, ſi non in terminis tradant.*

HAud minor oboritur in animis perturbatio, quoties percipiunt Sanctiſſimæ Virginis Dei Matris cultum, in quam affectum quemdam tenerum cum ipſo lacte ſuxerunt, Parentibus & Inſtitutoribus ſollicitè inculcantibus, nunc obliquè perſtringi: Imagines viliori loco haberi:

RESPONSIO.

QUid ad hæc Eximius D.? hæc nimirum: (a) *Excedi poteſt in laudibus ejus atque cultu, ac haud dubiè à quibuſdam exceditur.*

Quis amplius aliquid in tuâ vel Mechlinienſi Diœceſi aut dixit, aut ſcripſit, aut fecit? quis? ubi? quo tempore? deſigna vel recanta. Si ſunt, qui Deiparæ cultum perſtringunt, cur tam indulgenter diſſimulatis? cur hactenus neminem eorum pro tam ingenti crimine puniviſtis? nec Amplitudini veſtræ, nec Illuſtriſſimo Mechlinienſi deeſt punien-

(a) *Stejart in 32. nota 18.*

puniendi voluntas, nec deeſt poteſtas, ſi ſubeſt criminis veritas. Ergo tam atrocem accuſationem vel proba vel recanta.

Neminem profectò huius criminis reum hic reperiri vel ipſe ſatis teſtatus es, dum inter 42. accuſationes ne vel minimam de læſo cultu Deiparæ auſus es inſtituere, quod tamen ultro feciſſes, ſi vel aliqua eius ſcintilla affulſiſſet. Certè vehementem jam moves ſuſpicionem, ne confœderati tui aliquid tibi affricuerint de hac lue ſuâ: *Quidni non niſi veniale ſit detrahentis authoritatem magnam ſibi noxiam falſo crimine elidere. Probabile eſt non peccare mortaliter, qui imponit falſum crimen alicui, ut ſuam iuſtitiam & honorem defendat. Mirare nunc*, notabas pridem Eximie Domine: (a) *fuiſſe aliquos, & fortè etiamnum eſſe, qui liberaliter fanda, infanda congerant in omnes, quos putant graviter in aliquo obeſſe honori vel exiſtimationi ſuæ. Sed bene eſt quod hanc ſaltem ſententiam ſuam publicam fecerunt. Habet enim hoc commune cum eâ de reſtrictione mentali, quod tamdiu tantum utentibus proſit, quamdiu ignorantur eam tenere. Ex quo id ſcitum fuerit, nonniſi imprudens ſe decipi ſinit. Quid verò etiamnum eos facere exiſtimes, qui harum propoſitionum cenſuram non recipiunt, aut ſaltem ſuſque deque habent?* Quid eos facere exiſtimem? idem quod hic facis, atrociter & iniquè accuſare quos libet.

Debuerat omnibus os obſtruxiſſe ſententia Illuſtriſſimi Cameracenſis anni 1690. 3. Octobris. Ignorare non poteſtis nullos in Belgio gravius

(a) *In Theol. emend.*

circa cultum Deiparæ fuiſſe accuſatos, quam Patres Oratorij Montenſis, & tamen teſtatur Illuſtriſſimus etiam circa hunc articulum ſe nullis pepercifſe laboribus pro detegendâ tanti negotij veritate. Deinde poſt omnes informationes declarat eos ab impacto hoc crimine immunes, innocenteſque, & eſſe religioſos Matris Dei & miſericordiæ cultores. Inſuper recentiori decreto anni 1692. 12. Novembris palam impreſſo declarat eorum accuſationes (& hoc epiſtolæ tuæ paſtorali applica) eſſe *ſcandaloſas, diffamatorias, calumnioſas, injurioſas, noſtro characteri*, inquit, *& authoritati, famæ & integritati noſtri Vicariatus, pietati & religioni Sacerdotum Oratorij Montenſis, & variis aliis probis Virtuoſiſq; Diœceſis noſtræ perſonis, contrarias ordinationibus Eccleſiæ & Regiis Edictis, Statutis Synodalibus, & ſpeciatim decreto noſtro anni* 1690. 3. *Octobris*. Deinde tres libellos compoſitos à ſociis authorum epiſtolæ tuæ paſtoralis, propter huiuſmodi accuſationem damnat & proſcribit ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ. Videſis quid tua paſtoralis accuſatio mereatur.

PEregrinationes voti causâ ſuſceptas tacitè rideri, aut Eraſmi inficetis, nec ſatis Chriſtianis ſalibus aſpergi:

RESPONSIO.

QUis aſpergit? quis ridet? quis, niſi is fortè, qui ſolemniter peregrinationes promittit, nec implet? examina conſcientiam tuam, an non pro-

promiſeris peregrinationem ad limina Apoſtolorum. Recordare quoties ingeminabas: IN NOMINE DOMINI EAMUS ROMAM, EAMUS ROMAM. Certo voti reus es: aut fidem libera, aut peregrinationes ridere convinceris.

Sed miſeret me boni Thomæ à Kempis, qui etiam ab hac paſtorali epiſtola vapulat, quia monet lib: 1. cap. 23: *Qui multum peregrinantur, raro ſanctificantur: currunt multi ad diverſa loca pro viſitandis reliquiis ſanctorum, & mirantur auditis geſtis eorum, ampla ædificia templorum inſpiciunt & oſculantur ſericis & auro involuta ſacra oſſa ... ſæpè in talibus videndis curioſitas eſt hominum, & novitas inviſorum, & modicus reportatur emendationis fructus.* lib. 4. Cap. 1.

PIos cœtus aut ſodalitia in Virginis honorem erecta, vel privatis colloquiis, vel editis ſine nómine libellis proſcindi: dum eadem omnia priſcæ pietatis tenaces alii tuentur ac vindicant, perque hæc ut avorum memoriâ, ſic & noſtrâ, Catholicos ab Heterodoxis, tamquam certâ notâ ſeu criterio ſecerni volunt.

RESPONSIO.

PRo *ſolutione ſit*, ait Steiartius, *haud dubiè multos reperiri* (a) [ſcilicet inter Catholicos] *qui non ſcientes cur credant, etiam verè non credunt, ſed tantum tenent quod alios vident tenere, credituri proinde aliud ſi occaſio ferret ... ex fructibus ergo eorum communiter cognoſcemus eos: vera enim fides, etſi non ſemper iuſtitiam ipſam, varia tamen iuſtitiæ opera ſecum habere ſolet.*

(a) *Stejart 22. Aphor. diſp. 3.*

Si hâc notâ ſeu criterio, Eximie Domine, ſecerni vis Catholicos ab Heterodoxis: cur Ampliſſime Domine, temerè arguis eos, qui ſodalitia, aliaque externa in Deiparam pia officia tecum approbant, ſolos abuſus opera juſtitiæ propter illa negligentium tecum improbant? ſed tibi ſatis eſt accuſare.

Quod de cultu Virginis, cæteriſque in eam pietatis Officiis iam diximus, de cultu Sanctorum, Adoratione imaginum, ac venerabilium Reliquiarum dictum quoque eſto. De his quoque nonnulla temerè diſſeri ſcribique, & populum novitatis hujus impatientem concitari, plus quam nimis compertum eſt.

RESPONSIO.

Ubi compertum eſt? quo tempore? quo authore? deſigna vel recanta. Si crimen hoc plus quam nimis compertum eſt, cur peſſimè diſſimulatis? cur neminem plectitis? cur per pejorem impacto crimine indulgentiam officio deeſtis, permittendo cultum Sanctorum, adorationem imaginum ac reliquiarum & fidem ipſam impunè proſcindi, violari, calcari? Non deeſt vobis nec voluntas nec poteſtas hoc crimen puniendi, ſi, ut iactatis, plus quam nimis compertum eſt: in nullo tamen hactenus puniviſtis nec punitis: quis ergo credat compertum eſſe? Quod ſupra ad criminationem de cultu Virginis, cæteriſque in eam pietatis officiis iam diximus, de cultu Sanctorum, adoratione imaginum ac venerabilium reli-

reliquiarum dictum quoque eſto. De his quoque nonnulla temerè diſſeri ſcribique in hac Epiſtola Paſtorali, & populum novitatis huius impatientem concitari, plus quam nimis compertum eſt.

Quid quod nonnulli eo proceſſerint audaciæ, ut communicata cum piis Fidelibus Chriſti ac Sanctorum merita ex Eccleſiæ theſauro, cujus depoſitarius eſt Romanus Pontifex, ſive ſacras, ut loquimur, Indulgentias & libellis ſine nomine editis, & interdum etiam pro concione, multò ſæpiùs in colloquiis privatis, vel flocci faciant, vel Chriſtiani populi juſtè collocatam in iis fiduciam redarguant penè ut ſuperſtitioſam aut inanem? Quid quod repertus eſt non nemo, qui uſitata Catholicos inter in mortuorum ſolatium ſacrificia obliquo dente arrodere non ſit veritus, ac ſi plus levaminis ex iis habeant Sacerdotes ipſi in ſuis tricliniis accepto ſtipendio, quam mortuorum animæ in piacularibus flammis?

RESPONSIO.

Quam hic iterum, Ampliſſime Domine, Mangonem agis mercium Jeſuitæ Bruſſelij f 4! quam infideliter theſim accuſatam refers! non negat illa animabus in purgatorio prodeſſe plurimum ſacrificia, ſed de abuſu & caſu illo, qui cùm alibi ſæpè, tum Mechliniæ contigerat: *alius cùm moribundis aſsiſtit, jubet illos ſecuros eſſe & prolato libello recitat formulam quamdam indulgentiæ, quâ illos innocentiæ Baptiſmali reſtituit, ac proinde ab omni pœna in purgatorio luenda abſolvit.* De hoc, inquam, caſu pronuntiat: *Hic ego non intelligo quid opus ſit Miſſis, ſi valeat ipſius indulgentia ut ſonat, niſi*

 forè

fortè non tam Miſſis opus ſit, quam miſſarum ſtipendio non ad refrigerandas animas in purgatorio ſed in refectorio. Tu ipſe judica, Vir Ampliſſime, quis animabus in terris & purgatorio gravius noceat, an ille qui per recitatam formulam aliquam indulgentiæ ad lectum moribundi jubet etiam graviſſimos peccatores ſecuros eſſe de recuperata innocentia Baptiſmali, ac proinde de liberatione ab omni pœna purgatorij: an qui tanto abuſui reſiſtit?

Alios profecto abuſus, Eximie D. Vicario Silvæducenſi caſtigandos exhibes in Theologia tua emendata concluſ. 69. ubi ad hanc damnatam: *Annuum legatum pro anima relictum non durat plus quam per decem annos.* Exclamas: *I nunc & fac fundationes ut credis perpetuas, ſi ita interpretari liceat fundantium mentem. Cæterum aliud neſcimus hujus ſententiæ fundamentum præter cupiditatem humanam, & generalem penè licentiam fundationes quaſque vel eludendi vel negligendi. An vero nunc ſaltem melius conſultum erit fundationibus, ex quo opinio illa de decem annis damnata eſt? vereor utique, & jam dixi verendi rationem; nempè quod ex præteritis futura conjiciam. Poſtquam damnata fuit ſententia, quæ negabat Deum ullo unquam vitæ tempore diligendum eſſe, doceri cœptum eſt ſaltem diligendum ſemel in vita: ubi vero & hoc cenſuratum eſt, jam obtinemus ut ſaltem bis aut ter in vita diligi debeat: idem de aureo ad cædem furis ſufficiente oſtendimus ſupra. Quid ſi ergo nunc dicant qui hanc damnatam de legato annuo ſententiam tenuerunt, durare illud plus quidem quam per decem*

annos, ſed tamen non ultra undecim aut duodecim?

Ibidem concl. 66. ad hanc damnatam: *Non eſt contra juſtitiam pro pluribus ſacrificiis ſtipendium accipere & ſacrificium unum offerre: neque etiam eſt contra fidelitatem, etiamſi promittam, promiſſione etiam juramento firmatâ, danti ſtipendium, quod pro nullo alio offeram.* 10. *Alex: quantarum putas*, inquis, *fraudum in re tantâ hæc opinio, apud neſcio quos ſcriptores inventa ſuo tempore cauſa fuit! Quot ſacrificiis fruſtrati pij fideles, quibus Sacerdotes promiſerant, etiam per omnia ſacra dejerando, ſe pro illis ſolis, qui ſtipendium offerebant ſacrificaturos! quid vero etiamnum eos facere exiſtimes, qui harum propoſitionum cenſuram non recipiunt, aut ſaltem ſuſque deque habent?* hujuſmodi abuſus, Ampliſſime D. non fictos aut imaginarios, ſed quos ut veros & reales in Eccleſia graſſari teſtatur Stejartius, oportuerat non turpiter diſſimulare, ſed Paſtorali Epiſtolâ dignè caſtigare & proſcribere.

HAnc temeritatem jure merito caſtigant ſanioris Theologiæ Patroni, & adverſus hoc virus ſalutare offerunt antidotum. At interdum avidiùs venenum bibitur, quam potio ſalutifera. Plures peſtifer halitus afflat, quam ſanioris auræ ſpiritus recreet. Lolium & avenæ ſteriles, herbæque aliæ vel noxiæ, vel inutiles nullo ſerente, nullo curante creſcunt: triticum ſæpè ſedulam cultoris ſpem & induſtriam eludit. Ita pars bona ſimplicis vulgi, nihilq; fraudis ſuſpicantis ſenſim ſine ſenſu à Patrum ſuorum inſtitutis deficit, ut eſt multitudo novarum rerum cupida: pars aut indolis & ingenij quâdam felicitate, aut animarum Curatores magis integros nacta, quaſi ſe non ſinit & à majorum ſemitis abduci: pars hæret pendens animi ſacrum in-

ter & ſaxum, nec ſtat iere per ſe poteſt, quid tandem debeat amplecti.

RESPONSIO.

NUllum ad huiuſmodi reſponſum melius hoc Steiartiano: (a) *Exclamat pſalmographus*: quid detur tibi aut quid apponatur tibi ad linguam doloſam! *ſed nuſquam difficilius eſt adverſus eam ſe munire, quam ubi vagis ſolum criminationibus hæret: remedium tamen quidam invênit, provocando publicè calumniatores, ut quod voluerint, apertè dicant, at quod dixerint, ſub pœna quod calumniatores audient, probent. Iam id ſupra cœpimus: atque iterum repetimus. Dicite apertè quod de doctrina noſtra ſuſurratis, & probate quod dicitis. Ne alioquin hanc damnatam de calumnia doctrinam* (ſcilicet art. 43. & 44. inter 65. ſupra citatos) *non ſolum tenere, ſed etiam practicare videamini.*

PErturbari quoque neceſsè eſt multorum animos, quoties libros quoſdam neſcio quibus authoribus ſcriptos commendari ſibi, offerri, obtrudi vident vernaculo ſermone grandia myſteria, nec cuilibet vulganda complexos, à certis hominibus tamquam cœlo lapſos, tamquam Spiritûs ſancti, ſi ita loqui fas eſt, myrothecia, tamquam limpidiſſimos aquarum vitalium ac ſalutiferarum fontes; quos alij velut ex orco erutos, velut diaboli armamentaria, velut venenatos lacus & putrida ſtagna, flammis dignos, damnatorum dogmatum plenos, manibus excutiunt, ſine gravi flagitio & præſenti ſalutis diſcrimine evolvi non poſſe conteſtantur.

RES-

(a) *Stejart in notis ad 110. concl 60. pertinens.*

RESPONSIO.

SIc eſt, ſed exemplo rès fiet clarior. In Diœceſi Mechlinienſi, & Silvæducenſi ac vicinâ Hollandiâ cum magna ſtrage fidelium, & Hæreticorum ſcandalo graſſatur liber quidam vernáculo ſeu flandrico ſermone grandia myſteria complexus, tamquam è cælo, è cerebro lapſus Patris Haſart Jeſuitæ, tamquam fons limpidiſſimus vitalium & ſalutiferarum aquarum: nam Titulus ei: *Triumphus Chriſtianæ doctrinæ, ſive Catechiſmus maior cum ampla declaratione omnium præcipuarum partium eius & cum brevi refutatione Catechiſmi Calviniſtarum.* Et tamen hic Catechiſmus docet: (a) *Non poſſumus Deum offendere graviter, quando ſincerè & prorſus putamus non magnum malum eſſe quod facimus.* Item: (b) *blaſphemia & ſanctæ Eccleſiæ perſecutio in ſe quidem erat peccatum mortale, ſed in Paulo tantum veniale, quia ex ignorantia faciebat.* Item alius Jeſuitarum ibidem miſſionariorum parvus Catechiſmus, quaſi prioris catulus & medulla, ait: *Nemo plus peccat quam ſcit & novit malitiam peccati.* Nota eſt, Eximie D. ſententia tua, quâ errores illos doces eſſe peſtilentiſſimos, tum alibi ſæpè, tum in theſibus de peccatis ignorantiæ adverſus P. De Reux, qui ſe Catechiſmi Haſartiani myſteriis initiatum imbutumque declarabat. nunquid dum huiuſmodi librorum patronis tu aſſentaris, alii meritò eoſdem Catechiſmos, *velut ex orco eru-*

 tos

(a). *Tom. 2 f. 495.* (b) *Ibidem f. 108.*

tos (ignoſce quod propriis Jeſuitarum verbis utar, non enim invenio alia huic rei convenientiora) *velut Diaboli armamentaria, velut venenatos lacus, & pûtrida ſtagna, flammis dignos, damnatorum dogmatum plenos, manibus excutiunt, ſine gravi flagitio & præſenti ſalutis diſcrimine evolvi non poſſe conteſtantur.*

Quid pronius, quid formidandum magis, quàm ut hinc Eccleſiæ noſtræ aliquando accidat, quod inter Corinthios olim eveniſſe multùm queritur ac deplorat Apoſtolus, ut dum hi ſe Cephæ eſſe dicunt, iſti Apollo, tandem eſſe ſe Jeſu-Chriſti obliviſcantur.

Profectò hæc omnia neſcio quam ſchiſmatis imaginem nobis repræſentant, proque una Eccleſia geminas: tanta eſt & morum, & ſtudiorum, & affectuum diverſitas; tam exacerbati & abalienati animi; tanta apparet vindictæ & nocendi cupiditas, quæ dictis & factis quotidie proditur. Utinam vanus ſit multorum graviſſimorum Virorum metus magnoperè pertimeſcentium, ne creſcentibus odiis, & improbandi atque innovandi libidine, excuſſo tandem obedientiæ frœno, inconſutilis Chriſti tunica diripiatur in partes.

RESPONSIO.

Schiſmatis timorem panicum excutit Eximius Stejartius: (a) *Jam ſupra*, ait, *monuimus eſſe homines qui quoſvis ſibi non obſequentes mox Baianiſmi vel Ianſeniſmi inſimulent.* Scilicét ſupra monueras: *hi quibus ſolemne eſt omnes ſibi in moralibus fortè graves Baianiſmi aut Ianſeniſmi inſimulare, jam ſaxo diſcere incipiant, habere ſe in iſtis & aliis adverſarios &c.* (b) *Tempus fuit cum tam ſanam doctrinam* (quod come-

(a) *Stejart in notis ad Baianos pert. ad not. 2. & ad not. 7.*
(b) *In notis ad 110. concl. 30.*

comeſtio & actus conjugalis voluptatis cauſâ ſit peccatum) *non ſuſtinerent: ſed neſcio quæ dicteria & convitia plebeia in eos congererent qui illam contra torrentem aſſerere non formidarent.* Tu ergo cur modo dicteria & convitia plebeia familiarem aliquorum cantionem iis concinis, qui quoſvis ſibi non obſequentes, aut in moralibus fortè graves Baianiſmi, Janſeniſmi, rigoriſmi vel alterius Schiſmatis inſimulant? à quo potius ſchiſma timendum eſt, an ab eo, qui ad caput Eccleſiæ, radicem & fundamentum unitatis alacriter properat, an ab eo qui Romanum iter per multas artes & libellos ſupplices ſtudet evadere? antiquum eſt, nec potes negare, quod Romanum aërem perhorreſcant ſuſpecti de ſchiſmate: novum eſt, quod de ſchiſmate accuſatus, tam alacriter Romam petat, quam turpiter Romam fugit exanimis accuſator.

NOſtrum eſt pro virili noſtra graſſanti malo occurrere, & imminentem ſalutaribus conſiliis diſſipare tempeſtatem; animos diſſidentes componere, ad concordiam & ſaniora conſilia compellere; noxias herbas à ſalutiferis ſecernere; inter probam atque improbam doctrinam diſtinguere, ne Chriſtiana plebs ſub fallaci pietatis, reformationis, & ſeverioris Ethicæ ſpecie præcipitetur in exitium; pacem animis dare, & cæleſti ſcientiâ, quæ deſcendit à Patre luminum, ſtabilire cor.

HIc iterum, Vir Ampliſſime, ſpiritum & epiſtolæ ſcopum prodis! *Noſtrum erit pro virili noſtra graſſanti malo occurrere,* Cui malo? *ne Chri-*

ſtiana plebs ſub fallaci pietatis, reformationis & ſeverioris Ethicæ ſpecie præcipitetur in exitium. Nihil ergo Chriſtianæ plebi à laxiori Ethica timendum? nihil, ſaltem ne verbo quidem illius fit mentio in hoc compendio propoſiti Epiſtolæ.

(a) *Liceat tandem commotius rogare: quis tandem ſum qui talia ſapio?* is tandem es, qui tantum ab illo, qui fuiſti, mutatus es, ut neque te ipſe jam ſatis agnoſcas. Is es, qui poſtquam palam profeſſus es, non magis præſtare doctrinam Lovanienſium, quam Alcoranum, ſæpius pernicioſiſſimos errores laxioris Ethicæ detexiſti. De præcepto amandi Deum in notis ad hanc damnatam: *Tunc ſolùm obligat, quando tenemur juſtificari, & non habemus aliam viam, quâ juſtificari poſſumus. Alius*, ais, *brevius ſupra dixerat*, nullo, *inquit*, umquam vitæ tempore. *Nam ſupponendo opinionem de ſufficientiâ attritionis ex ſolo metu, quam cum ſuis tenebat hic author, conſideratâ etiam raritate caſus, quo quis inter Chriſtianos conſtitutus non habet copiam Sacramenti, quando juſtitiam recuperare tenetur, invenietur penè numquam juxta hanc doctrinam opus fore actu dilectionis Dei.* (b) *Igitur aiebant illi, ſat eſt, ſi ſemel in vita diligatur: maximè cùm odioſa ſint reſtringenda [nota blaſphemiam, odioſum vocare, quòd Deus à nobis diligi velit] neque lex ultra extendenda ſit, quam diſertis verbis ſonet.*

Subjungis de dilectione proximi: (c) *Vide igitur*

(a) *Stejart declaratione ad art. 24.*
(b) *Concl. 21.* (c) *Concl. 25.*

tur quò tandem abierit præceptum Charitatis erga proximum. *Primum quidem juxta propoſitiones ſuperiores non opus eſt actu interno, ſed officia externa ſatis eſſe dicuntur : tum verò ad hæc ipſa ubi ventum eſt, nec eleëmoſynam quidem pauperi debet quiſquam juxta propoſitionem præſentem, niſi in caſu rariore, quo de non ſuperfluis ſtatui dandum ſit.*

Deinde ad doctrinam damnatam à S. Congregatione: (a) *licere Chriſtianis actus publicos reverentiæ & cultus tribuere idolo pretextu vel intentione crucis, quam vel geſtent, vel in altari inter flores abſcondant* eo tandem, inquis, *devenerat libido fingendi regulas morum, quæ homines ab omni moleſtiâ propter legem Dei ſubeundâ eximerent.* Notum eſt, quantum variis ſcriptis olim deteſtatus es errores Catechiſmorum Societatis de requiſita ad formaliter peccandum notitia malitiæ. Teſtaris in proëmio Theol. moralis emendatæ : *Cæterum patet ex hac cenſura (quod hodieque pauci adducuntur, ut credant) eſſe reipſa in Eccleſia exceſſum pernicioſæ laxitatis &c.* (b) *ſed demum talia prodierunt, ex quo pro principio Theologico apud quoſdam invaluit. quærendum eſſe modum, quo pro lege Dei nihil umquam detrimenti ſubeundum ſit.* (c) *Principium iſtud : ſic eſſe temperandas regulas morum, ut nemini incommodo ſint aut detrimento.* Et concl. 52. *rurſus cernimus verſatilem hanc Theologiam in hoc uno fixam firmamq́;, ut cupiditatibus & licentiæ faveat.* Item concl. 5. de duabus propoſitionibus de probabilitate, damnatis

(a) *Concl. 31.* (b) *Concl. 20.* (c) *Concl. 82.*

natis ais : *hæc propoſitio juncta ſuperiori licitum faciebat penè quidquid libitum.* Quid plura? (a) *Cenſuras*, inquis, *adverſus errores abſtractos & ſpeculativos avidè excipimus : ſed quibus errores ad praxim facientes profligantur, morumque noſtrorum licentia aſtringitur, ingratæ ſunt, & ſemper erunt, quia illa multis multo gratiſſima foret, quæ (ſi fieri poſſet) univerſum Decalogum antiquaret, quia nempe faveret libertati.* Concludis : *diſcamus hinc apud tales authores non ſingulas tantum opiniones ſeorſum conſiderare, ſed & plures ſparſim ab ipſis traditas, in unum conferre, & deprehendemus res horrendas.*

Ergo quoniam & tu jam talis author factus es, diſcamus etiam tuas opiniones in unum conferre, & deprehendemus res non minus horrendas : conferamus cum præcedentibus, quod ais ibidem concl. 66. *Quid verò etiamnum eos facere exiſtimes, qui harum propoſitionum cenſuram non recipiunt, aut ſaltem ſuſque deque habent.* Quid? quod ipſe declaras concl. 32. *à ſententiis ſuis modò damnatis generatim tantum recedere ſtatuerunt, quantum rigor cenſuræ invitos cogit* [(b) *multum eſt*, addis infra, *ſi non in terminis tradant*] *damnatum eſt ſufficere actum fidei vel amoris Dei ſemel in vita elicere : ergo inquiunt eliciendus eſt in vita bis. Damnatum eſt ſat eſſe aureum unum ad cædem furis. Igitur aiunt aureus alter, aut ſeſqui requiritur, &c.* (c) *Præ cæteris*, ais, *Apoſtolicæ Cenſuræ cura ad eos pertinere videatur, qui*

in

(a) *Ibidem in proëmio.* (b) *Concl. 37.*
(c) *Ibidem in proëm.*

in ea impetranda nonnullam partem habuère. Nunquid ergo res horrenda eſt, quod jam inſuper Vicarius Apoſtolicus Cenſuram illam Apoſtolicam tam infideliter prodis, ut palam per Epiſtolam tuam Paſtoralem declares (quamquam hoc non mirandum in aliis, qui plures è damnatis laxioribus defenderunt) multum à ſeveriori Ethica, parum aut nihil à laxiori timendum eſſe ſaluti animarum? an non eſt res horrenda, quod tot & tam graves errores, v. g. de amando Deo & Proximo, de ignorantia, &c. quos adhuc graſſari, neque ſuis authoribus ſatis improbari teſtaris, tam turpiter diſſimulas, ut ne verbo in Epiſtola Paſtorali auſis eos tangere?

HUnc in finem viſum nobis eſt nonnulla in Domino præſcribere, non noſtro ſolùm concepta ductu, aut ſpiritu, ſed ex ipſis Eccleſiæ Catholicæ luminibus deprompta, præſertim quæ ultimis hiſce ſæculis vitæ huius noctem atque tenebras inſignibus vitæ ſanctioris, & doctrinæ excellentioris radiis illuſtrarunt atque diſſiparunt: ex S. Caroli, inquam, Borromæi, & S. Franciſci Saleſij inſtructionibus ac libris, quorum alterum *plura ſcripſiſſe ad Epiſcoporum inſtructionem utiliſſima*: alterum *ſcriptis cæleſti doctrinâ refertis Eccleſiam illuſtraſſe* monemur in annuo Eccleſiaſtici officii penſo. Ad horum doctrinam Evangelico ſpiritu plenam componere atque effingere Paſtoralia monita certum habemus, eumdem ſpiritum, quem ab animarum Curatoribus ſibi ſubjectis exigebant illi, à vobis exigere: eandem inculcare diſciplinam, quæ nemini non debet eſſe cordi, & nulli bono poteſt eſſe gravis. Deus conatus noſtros fortunet & proſperet, quæque ipſius, cui ſtudemus unicè, tum honori, tum gloriæ potiſſimum ſerviunt, inſpiret.

RES-

RESPONSIO.

SEriòne, Ampliſſime Martine, an animi cauſâ hæc ſcribis? tu eodem illorum Præſulum ſpiritu & diſciplinâ tua monita paſtoralia effingis? fingis indubiè. Quod ſanctum Carolum attinet: confer, & obſtupeſces, caput decimum dumtaxat, & ſimilia loca tuæ Epiſtolæ cum his S. Caroli verbis in II. Concilio Mediol. *Nec verò eſt, cur à muneris noſtri ratione deterreamur, vel quia his paſtoralibus noſtris ſtudiis actionibuſque animos eorum exulcerari videamus, qui filii ſunt perditionis, vel quia populares illæ, quibus quaſi ficus foliis deformes praviqùe mores contegi ſolent, voces audiantur:* non ferunt hæc tempora veterum Canonum ſeveritatem: ſic jam diu viximus, ita vixerunt, ita egerunt; qui ætate nos anteceſſerunt, vitæ inſtitutum nihil eſt quod mutemus. *At nos hæc, atque alia ejuſmodi contemnamus.* Item in Concilio Med. VI. *exulcerantur animi quorumdam dictitantium:* non ferunt hæc tempora veterum Canonum, & antiquæ Eccleſiæ medicamenta. *Imò ardentiùs progrediamur, quoniam hæc una medicina præſtantiſſima eſt, maximèque opportunum id remedium, ut quibus olim rationibus diſciplina Chriſtiana ſata & propagata fuit, iiſdem ipſis & inſtauretur & propagetur.*

Quod S. Saleſium ſpectat, an in tota tua Epiſtola micat vel ſcintilla aliqua ſpiritus, quo ille monuit: (a) *Avila ex mille unum ad directoris munus eligen-*

(a) *1. p. introd. c. 4.*

eligendum cenſet : ego vero ex decem millibus, pauciores enimſunt, quam dici poteſt, qui tanto operi ſint pares. Charitatis, ſcientiæ, prudentiæ plenus ſit oportet. Periculum ab eo eſt, quem trium illorum aliquid deficiat. Tibi contra gratum eſt, quemcumque tui eligant, modò non è paucioribus bonis. Quam crebrò & ardenter ille orationem mentalem, ſeu meditationem, tamquam unicum devotionis obtinendæ medium commendavit, præſertim ubi dicit : [a] *Quotidie horam unam ante prandium ei impende & ſi fieri poſſit manè.* Tu verò ſive in epiſtola, ſive alibi adeò eam tuis clericis non commendas, ut ab eis illam potiùs violentè elimines, ita quidem, ut nuper juveni cuidam Theologo alumno tuo, quem ad orationem mentalem exiſtimabas propenſum, amarè improperaveris : *etiam tu es ex Meditatoribus iſtis?* en ſpiritum & diſciplinam, ſi ſuperis placet, S. Saleſij. Plura de hoc parallelo Illuſtriſſimi D. Humberti, & Ampliſſimi D. Martini cum S. Carolo & S. Saleſio vide infra cap.18.

CAPUT I.

De Authoritate Sedis Apoſtolicæ.

STetur Eccleſiæ ac Pontificum Romanorum Conſtitutionibus & Decretis tam in dogmatis quæ ad fidem, quam quæ faciunt ad mores. Ad hanc amuſſim falli neſciam exigamus omnia, quæ ſcripturi vel dicturi ſumus.

(a) *2. part. introd. c. 1.*

Ab his, non dicimus abire, ſed vel ad latum unguem deſciſcere religio eſto. Procul abſint exceptiones frigidæ, aut veteratoriæ cavillationes, aut diſtinctiones juris & facti.

RESPONSIO.

CUr diſtinctionem hanc juris & facti ipſe in Aphoriſmis aſtruis? *alia*, ais, *in quibus eadem infallibilitas deficere poteſt, ſunt quædam, quæ non fidem olim revelatam, ſed facta particularia nihil ad eam facientia concernunt: ut quod Joannes vel Petrus malè aut benè fecerit, ſenſerit, &c. in quibus ne ipſa quidem Eccleſia in generali Concilio congregata irreformabili certitudine judicat.* Nequaquam ergò hæc diſtinctio inimica eſt Authoritati Sedis Apoſtolicæ ut contendis, Vir Ampliſſime, Stejartij oblitus. Scilicet ſic pridem doluêre non pauci Sedis Apoſtolicæ cauſam, quæ contra Gallum melius defendi poterat, tam miſerè defendi ab Amplitudine veſtra, imò prodi & turpiter deſeri, præſertim per OPUS IUSTÆ MOLIS, doctorum indoctorumque ludibrium. Certè quantum in Belgio huic cauſæ nocueris, non ex me, ſed ex amico tuo Jeſuita Joanne Bruſſelio diſce, qui in epiſtola ad Suam Celſitudinem Bavaricam hæc refert: (a) *Gynecea omnia, & Parthenones pugilem inauditum (Gallicè enim ſcribere non didicit, aut ſi novit, tam ſublimia myſteria profanis oculis committere, & vulgi judiciis proſtituere cum Syneſio exiſtimat indignum) omnibus calculis damnant. Plebs it in ſuffragia: Gallicum ſiquidem ſermo-*

(a) *f. 5.* *nem*

nem Belgæ paſſim intelligunt : loquuntur Gallicè : Pauci eò aſſurgunt, ut ſcribere politiùs noverint. Plebe judice cadit cauſâ, qui cauſam coram plebe dixit numquam, neque dicturus eſt. Quid? quod ipſe in familiari conſortio objicienti candido amico: *Quid tibi venit in mentem cauſam illam ſuſcipere & tam parum generosè defendere?* reſpondebas candidè : *Quid dicam? non prævidemus omnia.*

Ea ſolet eſſe generoſitas illorum, qui pro veritate non ſtant fideliùs, quam ut eam temporali emolumento, lectione, inquam, Regiâ Duacenſi parati ſint ſi non vendere, ſaltem commutare. Neque hanc accuſationem diluiſti dicendo: (a) *Vocatus Duacum ad concurſum pro lectione Regia in Theologiam, ivi quidem ſub promiſſione viri illic tunc magnæ notæ, quod dum docendi eſſent illi articuli, ipſe eos traderet meo loco : ſed cum ante concurſum jurare vel promittere unuſquiſque concurrentium deberet ſe eoſdem articulos traditurum, in facie Univerſitatis & Magiſtratus loci diſceſſi duobus aliis me ſequentibus.*

Cum veniâ veſtrâ, Ampliſſime D. tria hic notabo.

1. Ipsâ tuâ declaratione te jugulas : *Duacum*, ais, *ad concurſum pro lectione Regia in Theologiam ivi quidem ſub promiſſione viri illic tunc magnæ notæ, quod, dum docendi eſſent iſti articuli, ipſe eos traderet loco meo.* Ecce fatentem reum. Fateris ergò te paratum fuiſſe quatuor articulos Gallicanos docere per alium. Numquid, Eximie Domine, Hæreticum eſt aſſerere, quod Doctori & Profeſſori Re-

(a) *Declarat ad art. 1.*

gio

gio S. Theologiæ in Academiâ liceat permittere, ut ejus loco alius tradat in materiâ ſummi momenti quatuor articulos Hæreticos, aut Hæreſi proximos, & graviter Eccleſiæ, Religioni, & bonis moribus pernicioſos, quales tu cenſes eſſe quatuor illos Gallicanos? Nunquid hic ſaltem locum habet: *Quod quis per alium facit, per ſe facere cenſetur*? Liceretne jam tibi tuos alumnos, Theologos docere articulos Gallicanos per Doctorem Damen tuo loco? ſed hæc eſt tua, quam altè prædicas, in Sedem Apoſtolicam ſincera, conſtans, & defæcata religio.

2. Quam tu potuiſſes Miniſtro Regio Duaci poſt obtentam lectionem dare juxta tua promiſſa ſatisfactionem, niſi & illi, & toti Academiæ Duacenſi, ac Lovanienſi, aliiſque ſimulando te tenere 4. articulos Gallicanos, quos aut Hæreticos, aut Hæreſi proximos cenſes, cum palam conſtet ibidem ad lectiones illas neminem admitti ſine ſimili profeſſione. Hoc vero quî poteſt à pernicioſo in materia Religionis mendacio purgari? Inſuper Theſi Sabb. 26. Julij 1692. ſic ſtatuis: *Rectè, ut hominibus placêre cupientes, reprehenduntur, qui in quibuſdam controverſiis notabilibus partem, ut loquuntur, verentur eligere, ne fortè temporalibus commodis deſtituantur. Ideóq́, etiam in præſenti rerum periſtaſi partem in ſummi momenti controverſiâ firmiter eligentes de Pontificia Authoritate propugnamus ſequentia &c.* Quam ergò tu partem in hac ſummi momenti controverſia elegiſſes Duaci? meditare paulîſper.

3. Planè aliter quam narras contigit. Dicebas viro illi tunc magnæ notæ jam tibi lucem affulgêre circa veritatem 4. articulorum ; ſed tamen adhuc reſtare aliquos, ſed leves ſcrupulos, quos ſperares profundiori indagine, & viri illius operâ quam promittebat, facilè depellere. Ibas ergò ad Miniſtrum Regium, nec dubitabat amicus, quin illi jurares, vel promitteres, quod exigeret : ſupplicas admitti ad diſputationem : nam lectio ex more danda erat per concurſum optimè diſputanti. Reſpondet Miniſter Regius te prius debêre jurare vel promittere te 4. articulos traditurum. Tu circumſpiciens vides plures alios competitores fortè poſt diſputationem jure vel injuriâ tibi præferendos. Hærebas ; jam tecum diſputabas, quid faceres. Rogas ergò, inſtas, vehementer urges, ut admittaris ad diſputandum ſine prævio illo juramento, aut promiſſo, quod poſt diſputationem, nimirum cum certus fores te lectionem habiturum, dabis plenam ſatisfactionem. Sed ſurdo canis : ſtat fixa Miniſtro Regis ſententia non te admittendi ad diſputationem, niſi jures, aut promittas quod petit. Ergò diſcedis & redis ad amicum virum tunc magnæ notæ. Quereris te non admiſſum ad diſputationem. Cur ? quia nolui jurare, aut promittere ante admiſſionem, quod petebatur. Quidni? Nam planè mihi ſignificaveras id tibi non futurum difficile ? Imò verò, ſi ſolus aſpiraſſem, ſed videbam adhuc alios competitores, et ſi ante

 obtene-

obtentam lectionem juraſſem, forte hic Duaci promotionis ſpe fruſtratus fuiſſem per concurſum, & Lovanij per Illuſ. D. Internuntium, propter præſtitum hoc juramentum [*prudentiores ſunt fily hujus ſæculi filiis lucis*] ſic ſe res habet, ſic vir ille tunc magnæ notæ ſæpius teſtatus eſt. Poſtea pro præmio tantæ in Sedem Apoſtolicam fidelitatis, (a) *implorari*, inquis, *opem Illuſtriſſimi Internuntij, & hoc eſt, cujus gratiâ eum libenter ceu patronum veneror... profeſſus ſum doctrinam clam, quam palam profiteor ... Vltrò mihi parata ſunt ea, quæ nec ambieram, nec oblata rejicere tunc debebam... bonis ergò artibus veni*, ſcilicet filiorum hujus ſæculi.

SEnſuumque, damnatarum omnium propoſitionum excuſatrices, quibus eorum authoritas, vis ac robur eludatur. Nemo pro libidine detorqueat, aut ſenſus illis affingat alienos. Nec calamo, nec ore verbum ullum excidat erga Sedem Apoſtolicam, vel injurioſum vel minus reverens.

RESPONSIO.

CAſtigetur ergò pro meritis imago I. ſæculi, quæ lib: 5. fol. 622. per enormem irreverentiam gloriatur Societatem eſſe Pontifici Romano *rationale judicij, Græci λογιον, hoc eſt oraculum appellabant.* Ex quo Pontifici luceat *doctrina & veritas* & proinde tota, quam habet, infallibilitas. Gemmarum ordines eſſe *plurium ſociorum Societatis ejuſdem opera* (Caſuiſtarum præſertim) *ſupra naturam licet, doctrinâ tamen & veritate comprobata*

(a) *Poſit. ult. f. 5.*

probata. Sed non ab Alexandro VII., neque Innocentio XI. quin caſtigetur atrox illud in Sedem Apoſtolicam convitium Patris Eſtrix, quo Lovanij in publicis Societatis diſputationibus in frequenti extraneorum coronâ dicere non eſt veritus *librum ſuum Romæ damnatum eſſe per factionem Ianſeniſticam.*

PAri cum voluntate ſuſcipiamus, ſive cum quædam ſancit præjudicatis noſtris opinionibus faventia, ſive cum definit contraria. Aliàs non tam audire dicendi ſumus cœleſte oraculum, aut Apoſtolorum Principem Petrum Pontificis ore loquentem; ut audire ſe profitebantur olim Patres Sanctiſſimi, quam affectus noſtros, animorumque morbos.

RESPONSIO.

(a) VNdè ergò fieri dicas, ait Stejartius, *ut tantus quorumdam zelus extiterit pro Cenſurâ Baianâ, nullus autem aut exiguus hodiè ſit pro morali? inter alias rationes hanc accipe minùs odioſam. Veritatem omnes amamus, ſed noſtris cupiditatibus nihil incommodantem. Hinc cenſuras adverſus errores abſtractos & ſpeculativos avidè excipimus: ſed quibus errores ad praxim facientes profligantur, morumque noſtrorum licentia aſtringitur, ingrata ſunt & ſemper erunt. Quin illa multis multò gratiſſima foret, quæ, ſi fieri poſſet, univerſum Decalogum antiquaret, quia nempè faveret libertati.*

(a) *Stejart Theol. emend. in proœmio.*

QUem in Leone primo venerabantur illi Spiritûs Sti. afflatum, nos in ejus ſucceſſoribus veneremur. Non illi magis, quam his promiſſus erat divinus ille Spiritus, qui quos agit falli non ſinit.

Ad hanc omnium animis ingerendam altius erga ſupremum Chriſti in terris Vicarium reverentiam, juverit frequenter ruminare, & profundè memoriæ inſculpere melliflui Doctoris plena Majeſtate verba de Romano Pontifice non minus verè, quàm magnificè pronuntiantis, quod ſit * *ſacerdos magnus, ſummus Pontifex, Princeps Epiſcoporum, Hæres Apoſtolorum, Primatu Abel, Gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, Ordine Melchiſedech, Dignitate Aaron, Auctoritate Moyſes, Judicatu Samuel, Poteſtate Petrus, Unctione Chriſtus: nec modò Ovium ſed & Paſtorum unus omnium Paſtor.*

Si perſonas tot atque tantas in uno Romano Pontifice cum Bernardo omnes ſuſpicerent, Si Conſtitutiones ejus ac Decreta omnia pari alacritate & ſinceritate tamquam à Spiritu Sancto dictata, *tamquam à ſummo Apoſtolorum vertice divinitus perſcripta*, cum Patribus ſextæ Synodi *expanſis manibus* amplecterentur; °

RESPONSIO.

ET tamen, Eximie Domine in Aphoriſmis tuis 2. p. diſp. 18. doces Patres ſextæ Synodi & ſeptimæ damnaſſe Epiſtolam Honorii Papæ. En rurſus ſpecimen tuæ ſapientis defenſionis Authoritatis Apoſtolicæ.

NEmo quidquam exciperet, cavillaretur nemo, ceſſaret magna ex parte contentionum, turbarum & criminationum materia: non audirentur amplius invidioſa nomina;

° RES.

* *Lib. 2. de conſid. cap. 8. ad Eugenium.*

RESPONSIO.

IAm ſupra ex te citatum eſt *eſſe homines qui quoſvis ſibi non obſequentes, aut in moràlibus fortè graves Baianiſmi aut Ianſeniſmi inſimulent.* Teſtaris tempus fuiſſe, quo aliqui neſcio quæ dicteria & convitia plebeia in eos conjicerent, qui contra torrentem propugnabant comeſtionem & actum conjugalem facta causâ voluptatis eſſe peccata: tu qui nuper tam lacrymabiliter querebaris te à P. De Reux propter doctrinam de ignorantia juris naturæ traduci ut molliorem Janſenij Mangonem Diſcipulumque, jam auſis contra conſcientiam aſſerere tollenda invidioſa nomina, quamdiu erit aliquis, qui Jeſuitis non obſequitur, aut eorum morali laxiori gravis eſt? recordare Jeſuitas cum Illuſtriſſimo Mechlinienſi Romæ teſtari doctrinam Cenſuræ Lovanienſis & juſtificationis convictam eſſe de Janſeniſmo.

EVellerentur è multorum animis ſuſpiciones ſiniſtræ: quas nec improbabiles, nec injuſtas facit quorumdam tergiverſatio, Decretis Pontificum, quâ parte de libri cujuſdam ſenſu pronuntiant, detrectantium ſubſcribere, & cum aliqua nominis ſui jactura recuſantium. Non reperirentur poſthac, qui dicerent ſub doloſis cineribus igniculos deliteſcere, in funeſtum Eccleſiæ, niſi Deus averterit, prorupturos incendium. Hoc graviſſimum mutuæ concordiæ obſtaculum quid eſt, quo minus quam primum tollant, ſi ſunt, quales ſe prædicant, genuini pacis & Eccleſiæ Romanæ filij?

RESPONSIO.

SI es qualem te prædicas, genuinus pacis & Eccleſiæ Romanæ filius, cur à Beatiſſimo Patre accerſitus vultum ejus tantopere exhorreſcis? cur pro pace Eccleſiæ legationem, quam ultro vel ſine ſocio obire promiſeras, jam fugis multis undique impulſus ſtimulis, contra quos *tibi durum eſt calcitrare*?

HAnc tam neceſſariam animarum Curatoribus erga Romanum Pontificem, Sedem Apoſtolicam, Eccleſiam Romanam, quam (a) S. Franciſcus Saleſius *Columnam & firmamentum veritatis appellat, quæ nec fallere poſſit, neque falli*, obſervantiam quam veſtrum omnium pectoribus inſitam cupimus, memores Decreti Synodi Mechlinienſis II. (b) ſubjectis veſtris gnaviter, ſedulò, conſtanter imprimite, inculcate, inſculpite, & hanc noſtram mentem omnibus fideliter aperite. Pronis animis hæc veſtra hortamenta excipient, ut ſunt erga Sedem Apoſtolicam pij, & experiemini in aliis rebus omnibus vobis ipſis obſequentiores, ſi vos ipſi viderint exemplo obedientiæ debitæ prælucentes.

CAPUT II.

De Libris prohibitis generatim.

LIbros ab Apoſtolica Sede proſcriptos nec penes ſe quiſquam veſtrum habeat, niſi cui fortè juſtis de cauſis conceſſa eſt facultas, nec in ſuorum manibus verſari ullatenus patiatur; nedum, quod ab inſigni flagitio Orthodoxus nemo excuſaverit, legendos obtrudat ipſe

(a) *Præfat. in lib. de amore Dei circa finem.* (b) *Tit. 17. c. 2.*

ſe, jam non bonus Paſtor, ſed Lupus. Quâ de re conſuli poſſunt potiſſimum graviſſima S. Caroli Decreta, tum in Concilio Mediolanenſi I. tum in (a) III. condita; ubi SS. Præſul graviſſimis pœnis ſibi ſubjectos adigit, ut ejuſmodi libros, ſi qui fortè nacti fuerint, mox in manus Epiſcopi, aut pravitatis Hęreticæ Inquiſitoris conſignent. Et ſanè nihil potuit ſtatui ęquius. Quid enim tantopere depravat hominum mentes, quam librorum noxiorum lectio? Non aliundè faciliùs perniciosę doctrinę venenum bibitur, nec altiùs ſubit incautorum animos: præſertim cum non propinetur apertè, ſed miro cum artificio, & ſub obſcura quadam ambage verborum, quâ plurimùm uti amant malarum mercium propolę. Ubi regnat ſæpius meretricia eloquentia quæ nihil fundit niſi roſas & lilia, quas interſerpat ſubtiliter aconitum; ubi inter ſententiarum optimarum gemmas noxius & penè inaſpectabilis pulvis inſpergitur, malignâ manu temperatus ad lentam, eòque interdum certiorem legentium perniciem.

RESPONSIO.

SIc eſt. Et ideò, quod ſupra monui, vehementer me conſcientia impulit, ut huic Epiſtolæ notas quaſdam ex tuâ, Eximie Domine, potiſſimum doctrinâ pro antidoto adjungerem. Prævidebam enim certam ex eâ multorum perniciem, cujus & ego reus forem, niſi quoad poſſem, impedirem.

NOn eſt autem noſtrum curiosè hic excutere, quâ potiſſimum de causâ liber proſcriptus ſit, atque hâc ratione vel nos ipſos, vel alios fallere. Satis eſto proſcriptum eſſe, ut excutiamus manibus, & anguem in herba latere ſuſpicemur, qui priuſquam pedem referamus, mordere poſſit, &

(a) *Parte 1. tit. 4.*

& occultum animis ac letiferum venenum inſpirare; multò minùs fucos ac colores quærere; quibus vel nos vel alios ſtudeamus eximere Eccleſiaſticis Præceptis & cenſuris lectionem ejuſmodi librorum ſeverè interdicentibus.

RESPONSIO.

LEge, Ampliſſime Domine, quem pro opere juſtæ molis Stejartius adoptavit librum de libertatibus Gallicanis lib. 2. c. 3. *Lumen illud*, inquit, *Sancti Spiritus, quod Summo Pontifici adeſt, cum explicanda ſunt Fidei Myſteria, & tradenda morum præcepta, non perpetuò illi, 1. Hypocritarum fraudes, 2. Aulicorum adulationes, 3. improborum mendacia detegit, 4. non adverſus ambitioſorum importunitates, 5. Magnatum preces, 6. ſuſpecta Officialium conſilia immotos ſervat. Quid ſi, quod tamen ſine gravi fundamento ſuſpicari nefas eſt, Summus Pontifex, 7. aliquo ulciſcendæ injuriæ, 8. congregandarum divitiarum, 9. augendæ familiæ, 10. aliove pravo affectu impelleretur ad præcipiendum aliquid ſuæ poteſtatis limites tranſcendens, aut juſtitiæ repugnans? nec enim altitudo & ſanctitas ſolij ſanctum facit, & à peccato ſecurum; num, ſi quid hujuſmodi contigerit, ab exequendo mandato non liceret abſtinere?* [reſponde tibi Ampliſſime Domine] *poſſunt igitur diſſimulantibus etiam Summis Pontificibus expendi novæ leges, antequam recipiantur, ut, ſi quæ prodierint, quibus non ſit neceſſe, vel etiam expediens parêre, ſuſpendatur executio*, nimirum quod fieri poteſt decem & pluribus caſibus jam

alle-

allegatis, præſertim circa prohibitionem librorum: verum plura circa hanc materiam tibi objecta pridem ſunt, quam ferre queas, ego parcam fatiſcenti.

NOn poſſumus diſſimulare quantopere nos afflixerint hâc in parte multorum optimorum Virorum juſtiſſimæ querelæ, altè ingemiſcentium intolerabilem quamdam licentiam, & tantum non Eccleſiaſticarum legum contemptum in hanc noſtram Diœceſim irrepſiſſe, quorumdam hominum negligentiâ dicamus an conſilio? Qui pro muneris ſui ratione non ſolùm non viam obſtruxêre irrumpenti malo, verùm ipſimet & verbo & exemplo dicuntur aperuiſſe. Neminem accuſamus: malè ſibi conſcius facti pigeat, culpamque hanc minimè levem ſeriâ pœnitentiâ, & majori poſthac cautelâ eluant, reductis etiam in viam, ſi quos fortè ſeduxerint. Quem non miſereat gregum ejuſmodi; ut Propheticâ comparatione utamur, quos non tantum cuſtodiunt muti canes, qui ad luporum incurſionem præ metu latrare non auſint, ſed dentibus ipſi ſuis quovis lupo rapaciores pecus innocuum dilacerent, in parteſque rapiant! Quorum cuſtodes ipſi cuſtodiendi ſint, ne graſſentur hoſtiliter! Non erit injurioſus cuipiam, neque rem exaggeraverit, quiſquis dixerit hiſce canibus ſimiles eſſe animarum Curatores iſtos, qui paginas vel fidei vel morum corruptrices (tales quippè cenſendæ, quotquot Roma proſcripſerit) non ſolùm non eripiunt, aut extorquent ſuorum manibus, ſed ipſi ingerunt, operosè commendant, quodque eſt omnium peſſimum, ſuos pro imperio ad lectionem adſtringunt. Infelices animæ multumque miſerandæ, non cuſtodibus ſed latronibus commiſſæ, non Medicis, ſed homicidis, qui peſtem, ut præ ſe ferunt, non arcent, ſed cum cura dividunt, atque ſpargunt per familias fœdiſſimæ contagionis Authores.

RES.

RESPONSIO.

ET adhuc dicas: *neminem accuſamus, malè ſibi conſcius facti pigeat.* Et tamen ex multorum optimorum virorum (Patris Gys cum ſociis, qui dicitur quotidiè penè per horam confiteri Illuſtriſſimo Mechlinienſi) juſtiſſimis querelis clamas in aëre Eccleſiaſticos quoſdam verbo & exemplo viam irrumpenti malo aperuiſſe, non tam Paſtores quam *canes, lupos, latrones, homicidas quovis lupo rapaciores.* Neminem accuſamus. Sed debebas accusâre vel tacêre. Vel enim hujuſmodi Eccleſiaſticos ſcitis, vel non ſcitis. Si ſcitis, nec accusâtis, nec plectitis, nec à grege arcêtis, ſicut hactenus fatemini *neminem accusámus*: ergò *infelices animæ*, ut ais, *multùmq; miſerandæ non cuſtodibus ſed latronibus commiſſæ, non Medicis ſed Homicidis, qui peſtem ut præ ſe ferunt, non arcent.* Si verò non ſcitis hujuſmodi Eccleſiaſticos, *quem non miſereat*, ut ais ipſe, *gregum hujuſmodi, ut Propheticâ comparatione utamur, quos non tantum cuſtodiunt muti canes, qui ad luporum incurſionem præ metu latrâre non auſint, ſed dentibus ipſi ſuis quovis lupo rapaciores pecus innocuum dilacerent, in parteſq; rapiant, quorum cuſtodes ipſi cuſtodiendi ſint, ne graſſentur hoſtiliter* lacerando famam innocentum Eccleſiaſticorum, & Sacerdotum per atroces, vagas, quas probare non poſſunt, accuſationes.

Excla-

(a) *Exclamat Pſalmographus*: Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam doloſam? *ſed nuſquam difficilius eſt adverſus eam ſe munire, quam ubi in vagis ſolum criminationibus hæret.* Ideò jam tu mavis per vagas criminationes ſævîre in Belgio, quam ire Romam, & ibidem criminationes tuas deſignâre.

VT huic tam præſenti malo, quod radicitùs extirpatum volumus, quantociùs occurratur, utemur S. Caroli conſilio ſuadentis, ut Epiſcopi regulas Indicis de libris vetitis ab omnibus ſervari jubeant, curentque. Illas igitur habetote vos ipſi primùm vobis familiares ac ſanctas, atque curæ veſtræ commiſſis pro rei gravitate diligenter exponite. Ante omnes accuratiùs inculcanda eſt illa Clementis VIII. quam non gravabimur hic attexere. *In univerſum autem de malis & pernicioſis libris id declaratur atque ſtatuitur, ut qui certâ aliquâ linguâ initio editi, aut deinde prohibiti ac damnati à Sede Apoſtolica ſunt, eoſdem quoque in quamcumque poſtea vertantur linguam, cenſeri ab eadem Sede ubique gentium ſub iiſdem pœnis interdictos & damnatos.*

RESPONSIO.

COnfer cum his, Ampliſſime Domine, quæ habet Stejartius 2. p. diſp. 22.: *an dum liber in una quapiam lingua prohibetur, etiam prohiberi cenſeatur in alia? ubi quidem certum eſt poſſe fieri ut in unâ & non aliâ prohibeatur.* Et in fine generatim concludis hoc contingere, quandò expreſsè additur [idem eſt quando aliundè ſatis conſtat] *prohiberi librum in tali linguâ* quod frequentiſſimè accidit.

(a) *Stejart in Theol. emend.*

Præ-

Præterea ante omnes accuratiùs inculcanda eſt hæc II. Synodi Buſcoducenſis, quam non gravabimur hic attexere, conſtitutio: *doceantq́, ſub libris interdictæ lectionis etiam comprehendi omnes eos, qui, etſi ex profeſſo de Hæreſi non tractent, tamen ſub alio argumento indifferenti pernicioſa dogmata inſpergant.* Qualia Innocentius XI. declaravit eſſe 65. quibus paſſim ſcatent Jeſuitarum Caſuiſtæ. Talia indubiè etiam ſunt, quæ ſupra oſtenſum eſt contineri magno & parvo Flandrico Jeſuitarum Catechiſmo. Qualem ergò credas eſſe zelum illum, qui tam ſeverus eſt in libros prohibitos lege humanâ, & tam laxus in prohibitos lege Divinâ & naturali, cum omnium Theologorum ſententiâ magis obliget lex Divina & naturalis, quam humana?

CAPUT III.

De lectione S. Scripturæ, item Miſſalis, in lingua vulgari.

ALtè etiam omnium animis inſidère, & diſtinctè populis explicari volumus, quod habet regula IV. Indicis, experimento manifeſtum eſſe, ſi Sacra Biblia vulgari linguâ, paſſim ſine diſcrimine permittantur, plus indè ob hominum temeritatem detrimenti, quam utilitatis oriri. Quarè moneant & diſertè edicant Sacrorum Voluminum lectionem in patrio aut vernaculo ſermone non eſſe cuilibet permiſſam, ſed petendam facultatem à Parocho vel Confeſſariis, iis videlicet, qui præditi ſunt hac po-

teſtate, quæ tamen non concedenda eſt, niſi iis, *quos intellexerint ex hujuſmodi lectione non damnum, ſed Fidei ac pietatis augmentum capere poſſe, quam facultatem in ſcriptis habeant.*

RESPONSIO.

NOtatum eſt ſupra, quam ſit ab uſu & à ratione alienum, juxta tua ipſius teſtimonia, prohibitionem S. Scripturæ in lingua vulgari Diœceſi Mechlinienſi ſcriptam tranſcribere Diœceſi Silvæducenſi, cujus ne decima quidem pars ſubeſt Principi Catholico. Ipſe enim in ſynopſi tua hoc eodem argumento explodis tuos adverſarios. *A partibus Acatholicis argumentantur ad Catholicas, quaſi non ſubſit multiplex differentia.* Cur ergò lectionem hanc ſine differentiâ vetas Diœceſi Silvæducenſi ſicut Mechlinienſi.

SI periculoſa eſt hominibus indoctis, parumque perſpicacibus Sacrorum Voluminum lectio, patriâ linguâ à Catholicis probatiſque Authoribus verſorum.

RESPONSIO.

QUam procul regulam indicis excedis, dum Sacram Scripturam tam atrociter cenſuras, ut lectionem ejus generaliter hominibus indoctis, parumque perſpicacibus, etſi humillimis ſanctiſſimiſque dicas eſſe *periculoſam* & conſequenter ſcandaloſam. Aliud profectò eſt dicere, ſi lectio illa *paſſim ſine diſcrimine permittitur, plus*

inde

indè ob hominum temeritatem detrimenti, quam utilitatis oriri; quam dicere, quod exhibitum eſt ex Epiſtola Paſtorali, quæ ipſam lectionem dicit eſſe periculoſam hominibus indoctis, parumque perſpicacibus.

Confer, Vir Ampliſſime, hanc tuam Cenſuram cum iis, quæ publicè docet Stejartius, ac 1. in regulis, quas pro lectione S. Scripturæ dictavit ab aliquot menſibus in ſcholis Academicis, hanc ſtatuit ex Aug. de doctrina Chriſtiana: (a) *Quidquid utiliter extra S. Scripturam diſcitur, in ipsâ multo utilius & abundantius invenitur.*

2. Tradit ibidem ex Aug. hanc regulam: [b] *Quærenda in iis voluntas Dei, ac primò, quæ in ipſis apertè poſita ſunt vel præcepta vivendi, vel regulæ credendi diligenter inveſtiganda.* Subjungis pro declaratione: *In iis autem addit S. Doctor, quæ apertè illic poſita ſunt, invenientur illa omnia, quæ continent fidem, moreſq; vivendi. Non quaſi illic ſinguli fidei articuli apertè ſint poſiti, aut ſingula morum decreta, ſed generales illæ ſaluberrimaq; credendi regulæ & vivendi maximæ, ac inſuper ex ſpecialibus fidei & morum punctis ſaltem præcipua & cardinalia.*

3. [c] *Non igitur legenda*, inquit, *ex curioſitate, multò minus ex vanitate. Imò nequidem ſolo ſtudendi animo, utpotè voluntati potiſſimum non intellectui ſcripta.*

4. Docet

(a) *Lect. 1.* (b) *Lect. 10.* (c) *Lect. 11.*

4. Docet in Aphoriſmis 2. p. diſp. 13. *Primus itaque uſus eſt ad docendum: qua in re non ſolum ſacer textus excellit, quatenus doctrinam utiliſſimam, ſanctiſſimam, & ab omni falſitatis ac pravitatis ſcoriâ defæcatam continet; ſed vel maximè quatenus verba illius præ cæteris cor tangunt, & unctionem ſuam ſecum ferunt uberrimam, adeò ut juxta quoſdam Patrum etiam non intellecta neſcio quid ſancti inſpirent.*

Quod ſi, quidquid utiliter extra S. Scripturam diſcitur, in ipſa multo utilius & abundantius invenitur, & quidem apertè præcepta vivendi & regulæ credendi : ſi hæc voluntati potiſſimùm & non intellectui ſcripta eſt: ſi verba ejus præ cæteris cor tangunt, & unctionem ſuam ſecum ferunt uberrimam: ſi etiam non intellecta, neſcio quid ſancti inſpirent: quam veri ſpeciem habet hæc tua Cenſura: *periculoſa eſt hominibus indoctis parumq́; perſpicacibus ſacrorum Voluminum lectio Patriâ linguâ à Catholicis probatiſq́; Authoribus verſorum?* an hi non tam benè quam docti & perſpicaces habent voluntatem, cui potiſſimùm, & non intellectui ſcripta eſt? itane dum ſunt probè inſtructi in rudimentis Fidei & morum, periculoſa eſt eis propter ſolum doctrinæ & perſpicaciæ defectum? imò propter hunc eſt eis magis neceſſaria, utilior, ſalubriorque.

Sed ulterius diſpoſitionem voluntatis videamus, quam in prædictis regulis lectione 11. di-

ctaſti ſub hoc titulo: *De neceſſariâ legentis Scripturas ſacras diſpoſitione.* Atque pro hac ſtatuis has regulas.

1. *Amari potius à nobis debet Scriptura, quam diſci, alioquin minimè intelligenda.* Aug de utilit. cred. cap 6.

2. *Qui quærit legem replebitur ab ea, & qui inſidiose agit, ſcandalizabitur in ea.* Eccl. 32.

3. *In malevolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.* Sap. 1.

4. *Tantò citius quis proficit, cùm bona legit, quantò citius facit, quod legit.* Aug. de opere Monach.

5. *Cum timore Dei, pietate, manſuetudine, ſeu humilitate ad lectionem Scripturæ accedendum, ne vel intellectæ, ſi vitia noſtra percutit, vel non intellectæ contradicere audeamus nos, quaſi melius ſapere, meliuſq; præcipere poſſimus.* Aug. de doct. Chriſt.

Subjungis pro declaratione: *Docemur breviter his regulis Scripturam Sacram legere ſanctâ animi diſpoſitione, & purgato mentis oculo, magno præterea deſiderio ex illa diſcendi quod nos agere, vel non agere, quod alios docêre oporteat, cum intentione mox faciendi, quod præcipit, & omittendi quod vetat. Deinde ſummo erga illas amore & reverentiâ, ſicut legit filius aut diſcipulus litteras, aut inſtructiones amantis ſui Patris, aut Magiſtri; alioquin magna nobis imminêre ex ipſis divinis litteris peri-*

pericula ſubverſionis, excæcationis, obdurationis. Non *igitur legenda ex curioſitate, multò minus ex vanitate, imò nequidem ſolo ſtudendi animo, utpotè voluntati potiſſimum non intellectui ſcripta.*

Addis deindè ſpecialia quædam ſervanda in lectione S. Scripturæ iis, qui ſtudij Theologici curriculum emenſi ſunt: Subjungis in fine: *De diſpoſitione ad legendas S. Scripturas, & quidem de lectione Scripturæ per Laicos in lingua vulgari hic plura forent dicenda, niſi aliundè* [ſic à quindecim circiter annis dictabas eaſdem regulas] *id præſtaret tractatus brevis ea de re nuper editus Gallicè, nec non tractatus de eadem à Viro Illuſtri* (Caſtorienſem ſignificabas) *ut ſperatur edendus.* Nunc cantionem mutas, & ais: *de lectione Scripturæ per Laicos in lingua vulgari plura hoc loco dicenda forent, niſi anguſtiâ temporis urgeremur. Addemus aliquid in fine, ſi tempus ſuppetat.*

Sed non ſuppetebat, quia à teipſo convictus eras diſpoſitionem omnem ſive intellectus, ſive voluntatis, quam ad ſalutarem S. Scripturæ lectionem requiris, aut requirere quiſquam poteſt, æquè & plerumque felicius in Laicis patriæ dumtaxat linguæ peritis, quam in Eccleſiaſticis reperiri; præſertim cùm teſtetur Chriſtus: *Abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & revelaſti ea parvulis.* Et adhuc non verêris librum Spiritus ſancti, quod nequaquam fecit regula indicis, tam inclementi Cenſurâ reſtringere; dum parcis magno Jeſuitarum Catechiſmo Flan-

drico, Triumpho veritatis Chriſtianæ, excuſanti à mortali Sauli blaſphemias, & Fidelium Fideique diram perſecutionem.

Das veniam Corvis, vexat Cenſura columbam.

QUantò periculoſior erit, ſi ſuſpecti homines Fideique ambiguæ iis vertendis manus admoverint, & conceptum animo virus in illa ſubtiliter & malignè infuderint? Quanta hinc imminet ruina? Ut enim nobiliſſimum ciborum ac delicatiſſimum genus, quale erat olim apud Romanos Boletus, hodièque eſt, quod & facilè venenum ſuſcipit, & tegit, ſi multitudini apponatur, ingentem edit hominum ſtragem; & quia voratur avidiùs, & quia nullâ ſe parte malum prodit: ita libri quò res tractant magis pias, magiſque cæleſtes, ſi contingat ſimili nequitiæ fermento eſſe reſperſos, hoc ampliùs nocêre nati ſunt, & mentibus ſimplicium inferre perniciem. Vulnus quippè acceptum eſt priuſquam perſentiſcant; quando illic nihil niſi pium, niſi ſanctum, niſi divinum hauriri poſſe Lectores ſperant.

RESPONSIO.

HInc colſige, quam periculoſa ſit tua Paſtoralis Epiſtola, quam periculoſi magni & parvi Jeſuitarum Catechiſmi Flandrici ſupradicti, quos ſinis in tua Diœceſi impunè graſſari.

QUare cum Sedi Apoſtolicæ, ſemper adverſus omne Religionis periculum vigilantiſſimæ Verſionem Novi Teſtamenti Gallicam, quam Montenſem Auctoribus appellare viſum eſt, ſeveriſſimis verbis, & magnarum interminatione pœnarum proſcribere placuerit, damnatus ille liber Diœceſi noſtrâ exulet. Nullus in eum manus deinceps aut oculum conjiciat, niſi quem exemerit conſtitutis illic pœnis major auctoritas, & eruditio extra periculum poſita. Hanc

noſtram

noſtram mentem Pontificiæ conſentientem omnibus ſibi ſubjectis clarè enuntient, ac ſalutarem horrorem incutiant, ſi quos fortè curioſa temeritas, & novarum rerum libido in tranſverſum abſtulit adhuc.

Edicant ſimiliter vetuiſſe *perpetuò* Romanum Pontificem Alexandrum VII. ne quis legere attentet Arcanum Volumen & prophanis oculis non intuendum, quod Miſſale dicimus, Gallico pariter idiomate verſum ab hominibus res ſemper novas molientibus; ſub pœna excōmunicationis latę ſententiæ. Adjiciant Papam hunc infenſiſſimum novitatum omnium hoſtem ſeveriſſimè in ipſo brevi Auctores accuſaſſe *temerarij conatûs*, † *quo ſacroſancti ritûs Majeſtas latinis vocibus comprehenſa dejicitur atque proteritur, ac Sacrorum Myſteriorum dignitas Vulgo exponitur:* Appellaſſe hunc conatum *novitatem perpetui Eccleſiæ decoris deformatricem, inobedientiæ, temeritatis, audaciæ, ſeditionis, ſchiſmatis, aliorumq́; malorum productricem.* Neque verba hæc videri cuipiam debent juſto graviora.

RESPONSIO.

NUmquid, Vir Ampliſſime, hoc unum eſt ex malis illis, de quibus in præfatione præmones: *vix ſiquidem vos iſta, laus ſuperis, attigerunt?* fallor ſi in totâ Diœceſi Silvæducenſi vel unum Miſſale Gallicum reperiri queat, & tamen libet contra hujuſmodi, Epiſtolam Paſtoralem ſcribere: nil contra graſſantes turmatim præfatos Jeſuitarum Catechiſmos.

† *12. Ann. 1661.*

CAPUT IV.

De Impreſſione Librorum.

Quoniam autem de libris jam agere cœpimus, hâc occaſione injungimus Scholaſticis noſtris, ut juxta præſcriptum * Synodi Mechlinienſis II. perquam diligenter obſervent, & obſervari curent graviſſimum Sacro-Sancti Concilii Tridentini Decretum ſeſſ. 4. ſancientis *ut nulli liceat imprimere, vel imprimi facere quoſvis libros de rebus ſacris ſine nomine Auctoris, neque illos in futurum vendere aut etiam apud ſe retinere, niſi primùm examinati probatiq; fuerint ab Ordinario,* aut ad id conſtitutis Cenſoribus, *ſub pœna anathematis & pecuniæ in Canone Concilij noviſſimi Lateranenſis appoſita..... Qui autem ſcripto eos communicant, vel evulgant, iiſdem pœnis ſubjaceant, & qui eos habuerint vel legerint, niſi prodiderint Auctores, pro Auctoribus habeantur.*

Hujus Decreti neglectum poſſumus jure merito primam mali labem appellare, fontem diſſidiorum omnium, novitatum atque errorum ſeminarium. Hinc ruinam grandem trahit Chriſtiana charitas, dum tenebriones quidam è ſuis latebris impunè audent quidlibet, & Virorum innocentium nomen infamibus conviciis ac calumniis proſcindunt, dum libros ſuos tamquam totidem faces adhibent ad differendum & diffundendum quaquaverſus incendium. Quod ſi ſupprimere & ſuffocare omnes non datur, quando ſexcentis manibus ſparguntur, Scholaſticorum tamen vigilans induſtria faciet, ne id impoſterum fiat tam liberè, ac ſi nulla fuiſſet umquam lata lex, cum magno Eccleſiaſticarum pœnarum, ac Tridentinæ Synodi contemptu. Noſtrum erit flagitio dignum edere exemplum, ſi quis in Diœceſi noſtra legis hujus poſthac prævaricator deprehendatur.

RES-

* *Tit. 1. cap. 5.*

RESPONSIO.

VBi ſunt in tua Diœceſi Scholaſtici? ubi tui librorum Cenſores? ante, & dudum poſt hujus Epiſtolæ editionem de iis minus, quam de monte ſine valle auditum eſt. Quibus ergò ſcribis decretum hoc tàm inviolabile? an hoc non eſt Paſtorali Epiſtolâ ludere? niſi fortè menſe Octobri 1692. ſcribebas hanc legem Cenſori naſcituro Lovanij 23. Feb. 1693.

CAPUT V.

De cultu B. Virginis Deiparæ, & aliorum Sanctorum.

PIetatem in Virginem Dei Matrem omnibus volumus eſſe commendatiſſimam: cultum ejus Fideles inter nobis ſubjectos promoveri, atque in dies veſtrâ induſtriâ auctiorem fieri: ejus imagines præſertim miraculis celebres frequentari, in publicis ſupplicationibus majorum more circumferri, accenſis cereis illuſtrari, ſtatis Laudibus, Litaniis, precibus honorari: erecta in ejus honorem Sodalitia, aut Confraternitates earumque privilegia & immunitates Pontificum favore conceſſas extolli, populum ut iiſdem nomen det invitari, ſi qui hactenus inſcripti non ſint: nova etiam, ubi necdum erecta ſunt, erigi; ubi collapſa, reſtaurari. Hæc qui tangit, pupillam oculi noſtri tangere ſe ſciat, ne dicamus, qui admordet, qui convellit, qui exterminat. Pium hunc in Virginem affectum à Majoribus hauſtum, nequidquam frendente circumcirca Hæreſi conſervatum auctumque, deſideramus unicè altiùs atque altiùs

in animis Fidelium infigi. Eò vos ſtimulant Sanctiſſimorum Virorum & monita & exempla, quæ non opus eſt hic memorare. Quotquot enim ante actis ætatibus, ſingulari ſanctimoniæ laude floruiſſe accepimus, plurima ſingularis hujus in Virginem pietatis impreſſa per omnem vitam veſtigia reliquêre.

RESPONSIO.

SIgna ſeu notæ prædeſtinationis. Ais Eximie Domine in Aphoriſmis 1. p. diſp. 43. *prima eſt vitæ bonæ decurſus, & bonæ conſcientiæ teſtimonium. Vix ſiquidem malè moritur, qui benè vivit. Aliæ ſunt, libenter audire verbum Dei, in pauperes miſericordia, patiens frequenſque adverſorum tolerantia, quibus adde,* ſi velis, *devotionem ſinceram erga SS. Dei Matrem, modò ne hanc, vel etiam alias iſtas conſtituas in iis quoque*. QUI GENTILITER VIVUNT; *in his ſiquidem, quamdiu ita pergunt, nullam notam admittendam putamus, niſi veriſimillimam damnationis.* Alludis ad propoſitionem: *frequens Confeſſio & Communio, cultus B. Virginis in iis etiam qui Gentiliter vivunt, eſt nota prædeſtinationis. Hanc verò copulatim ſi acceperis,* ſcribit nuper P. Pollenter Jeſuita ad prop. 56. *ut accepiſſe ſe ille proteſtatus eſt, ſi abſtergas invidiam vocis Gentiliter, quod feciſſe ſe exiſtimavit, haud equidem ſcio, an dici poſſit continére propoſitionem damnatam.* Idem addit ex ſocio Stephano Binet: *Sancti docent, quòd, qui verè devotus fuerit erga Virginem Dei Matrem, numquam ſit condemnandus, tantum illa efficiet, ut, cùm morien-*

dum

dum erit, Confeſſionem nobis impetret perfectam, integramque peccatorum Contritionem, ac denique illud omne, quod opus fuerit ut ſalvêmur. Quibus clarè promittitur Confeſſio, peccatorum remiſſio, & de ſalute ſecuritas etiam iis, qui uſque ad finem vitæ cum quâdam ſpecie devotionis erga Deiparam vixêre in mortalibus. Atque hæc planè conformia ſunt centum Cæli clavibus, ſive totidem in Deiparam obſequiis, quibus Barrius Jeſuita dicit totum Paradiſum pateſcere, *ſi quis*, ait, *unum modò ex illis officiis uſurpet. Beatam Virginem ſalutâre cùm in ejus imaginem incurris, Roſarium decem delectationum Beatæ Virginis recitâre, Mariæ nomen frequenter in ore habêre: Angelis mandâre, ut ei noſtro nomine ſalutem dicant: optâre, ut plures illi Eccléſias ædificemus, quam omnes ſimul Catholici Reges adhuc fecerint: ineunte & deſinente die ſalutem ipſi dicere: ſingulis diebus Ave Maria recitâre in honôrem cordis Mariæ: ferre Roſarium ſemper brachio circumvolutum, aut quocumque tandem modo ſecum illud habêre, vel ſaltem imaginem B. Virginis.*

Scis, Ampliſſime Domine, hujuſmodi errores etiamnum cum ingenti Fidelium Hæreticorumque ſcandalo in tua Diœceſi graſſari. De his & ſimilibus ſiles: Imagines, Sodalitia, Confraternitates unicè commendas, quaſi reperiretur inter Catholicos aliquis, qui illorum uſum non probet, qui Deiparæ cultum non laudet, præſertim ſi fiat, ut author inſtructionis juven-

tutis requirit, 1. Graviter timendo diſplicere Deiparæ per peccatum aliquod mortale, quo Filius ejus chariſſimus rurſus crucifigitur, & oſtentui habetur. 2. Imitando ejus virtutes, ac imprimis humilitatem, caſtitatemque. 3. Recurrendo ad illam pro neceſſitatibus ſalutis per preces, Roſarium, jejunia &c. 4. Invocando eam in tentationibus. Cur duas & primas illas cultus Deiparæ partes omittis, ſi non probas doctrinam tuorum hujus Epiſtolæ Conpatrum, qui cenſent notam Prædeſtinationis eſſe ſpeciem quamdam cultus Deiparæ etiam in iis, qui Gentiliter, aut ex præſumptuoſa ſecuritate in mortalibus vivunt uſque ad urgentem mortem.

NEque quemquam moverit Hæreticorum, aut Mariani honoris obtrectatorum futilis ſcrupulus, quaſi Filij Maieſtati quidquam decedat ex cultu Matris aut frequentia.

RESPONSIO.

(a) E*Xcedi poteſt*, ais Eximie Domine, *in laudibus ejus atque cultu*, *ac haud dubiè à quibuſdam exceditur*. Cur ergò exceſſum hunc ſiles? quos alios Mariani cultus obtrectatores præter teipſum arguis?

QUantum Filio debeant, norunt pij fideles, norunt & quantum Matri, cui nihil debent niſi propter Filium. Filium inter atque Matrem quantùm interſit, probè intelligunt. Si qui è plebe ruſticanâ ſint adeò rudes (conſtat certè vel pauciſſimos eſſe, vel nullos, ſi modò prima Religionis Chri-

ſtianæ

(a) *Nota 18. ad 32.*

ſtianæ elementa teneant) qui diſcrimen immenſum haud videant, per vos inſtruantur. Matrem honorari propter Filium apud omnes in confeſſo eſt, & in Matre honorari Filium, Materni honoris læſi ſeverum vindicem. Quorum pietas in Matrem languet, in Filium quoque ſenſim ſine ſenſu langueſcere incipit, & tandem extingui, ut crebrò nos Viri Sancti monent, & quorumdam funeſtus exitus demonſtrat.

RESPONSIO.

QUis hoc in dubium vocat? ſed nunquid majus frequentiuſque periculum eſt, ne langueſcente pietate in Filium, langueſcat pietas in Matrem? cur ergò hoc periculum taces, illud proclamas? cur? quia doctrinæ ſuæ aliquid jam tibi affricuêre, qui cultum Deiparæ in Gentiliter viventibus, ſtatuunt notam Prædeſtinationis.

QUam ſedulus fuerit in Mariano cultu promovendo S. Carolus; quam multa ſanxerit in ejus honorem, teſtantur tot * Concilia ejus ductu atque auſpiciis Mediolani celebrata, in quibus ferè nullum eſt, quod optimi Præſulis ſuaviſſimum atque ardentiſſimum in cæli Reginam amorem verbis non prodat, monimentiſque conſignet nullâ oblivione delendis. Eodem affectu plena ſunt ſanctiſſimi Genevenſium Antiſtitis ſcripta; plenæ quoque erant, ejus dum viveret actiones. Quodam loco gloriatur, ſe cum tota penè Civitate Confraternitati Roſarij nomen dediſſe. De SS. Anſelmo, Bernardo, Norberto, &c. nihil dico. Hos potiùs audiant, quam importunum quemdam monitorem, cujus fallax libellus, & in Virginem Matrem injurioſus, ſuperioribus annis, diabolo ſemper aliquid machinante, & pernicioſa ſuggerente conſilia, cum gravi fidelium ſcandalo ſparſus eſt, & mox Apoſtolicæ Sedis Auctoritate juſtiſſimè damnatus.

* *Vide l. 3. 4. 6.*

RESPONSIO.

(a) MOnita ſalutaria ſcitur, ais Eximie Domine, *ab annis plus minus viginti Civis quidam Colonienſis edidiſſe.* Quid ergò hæc tam longè acceſis ad conflandam Theologis Lovanienſibus invidiam, quos amas accuſare? monita illa numquam vidi aut legi, nec cauſa illa ſpectat ad rem noſtram. Nullum ergò præter hunc Civem Colonienſem & extraneum noviſtis in Belgio læſi Mariani cultus accuſatione denigrandum? Nullum à viciniori loco? Nullum à viciniori tempore? Si ſciretis, nemo dubitat, quin potius eum citaret Paſtoralis Epiſtola, quam Civem illum Colonienſem à viginti fortè plus minus annis ſepultum.

HOs audiant, hos æmulentur, hos effingant, hos audiendos, hos æmulandos, hos effingendos inſtitutioni ac curæ ſuæ commiſſis, tamquam optimos vitæ duces proponant.

RESPONSIO.

IMò verò hos proponant, hos audiant: ac brevitatis causâ pro omnibus hic proponamus ac audiamus S. Saleſium: *Ad devotionem qui aſpirat*, ait 1. part. introd. cap. 1. *illum ante omnia, quid ſit devotio, ſcire oportet: nam quia una tantùm vera, & multæ falſæ ac vanæ ſunt, niſi quæ vera*

(a) *Nota 17. ad 32.*

vera ſit cognoſcat, errare & ad aliquam ſuperſtitioſam & erroneam deflectere facilè poſſet... Vnuſquiſque devotionem pro affectu & phantaſiâ ſuâ pingit... Multi actionibus quibuſdam exterioribus ad ſanctam devotionem pertinentibus [v. g. Confraternitatum & Sodalitiorum] *ſe operiunt, & devoti atque ſpirituales creduntur. Sed ſi veritatem ſpectemus, nil niſi ſtatuæ & phantaſmata ſunt devotionum... Vndè qui omnia mandata Dei non obſervat, neque bonus, neque devotus dici poteſt... Deniquè charitas & devotio non plus inter ſe, quam flamma & ignis differunt. Vndè charitas, quia ignis ſpiritualis eſt, quando valdè inflammatur, devotio dicitur.* Igitur manifeſtè Saleſius devotionem eorum, qui pietatem exteriorem v. g. Confraternitatum & Sodalitiorum magis cordi habent, quam charitatem & mandatorum Dei obſervationem, quibus ſatis eſt, ſi Sodalitio inſcriptus amet Deum ſemel vel bis in vita, vel ſemel ſingulis quinquenniis aut bienniis aut annis, & nequidem tunc dum juſtificari debet per Sacramentum Pœnitentiæ, cenſet non veram eſſe, ſed potius (nam unam ſolam dicit eſſe veram) *falſam, vanam, ſuperſtitioſam, erroneam, nil niſi ſtatuas & phantaſmata devotionum.* Hunc audiamus. Hunc proponamus.

POſt Virginem in Sanctos quoque, eorum Reliquias atque Imagines priſcam pietatem in ſe, & in ſuis alant, foveant, augeant, Deumque ac Jeſum Chriſtum Filium ejus in iis præcipuè ſuſpici moneant: ſi tamen hoc monendum eſt, niſi qui adſint primis fidei elementis imbuendi. Quanta

per eorum patrocinium in nos deriventur beneficia, ſi religioſè invocemus, ſi puriter colamus, ſedulò exponant: Seu peſtis, ſeu fames, ſeu bella ingruant; quibus tanto jam tempore propter deficientem in nobis Chriſti ſpiritum, & quotidiana populi flagitia premimur, doceant Advocatos nobis non poſſe alios eſſe meliores apud Chriſtum ad placandam Dei iram, juſtamque vindictam à cervicibus noſtris arcendam: quippè qui vel Sanguinem ſuum pro ejus gloria fuderint, aut lento martyrio inter aſſidua virtutum omnium exercitia vitam exhauſerint. Ita creſcet in Cælites pietas, & ſuſcitabitur in pluribus æmulandi ardor, & ardua pro Dei nomine & agendi & patiendi cupiditas exſurget.

RESPONSIO.

ADdidiſſe ex Concilio Cameracenſi oportebat contra ſupradictam P. Pollenter & ſociorum doctrinam: *Doceâtur itaque populus preces quidem Sanctôrum admodum utiles ad impetranda dona non modò corporalia & temporalia, ſed ſpiritualia & æterna. Sed tamen abominandam eſſe eorum vanitatem ac ſuperſtitiônem, qui certò pollicentur non ex hac vita migraturos ſine Pœnitentiâ, & Sacramentis eos, qui hunc illumve ex divis coluêrunt.*

NEque id à nobis adeò ſollicitè præſcribi mirum videri debet. Urgent nos cauſæ minimè leves. Quotquot enim hiſce ultimis præſertim ſæculis natæ ſunt hæreſes, Virginis Matris, Sanctorumque cultum, venerationem Imaginum, ac Reliquiarum cœperunt primò obliquè carpere, dein admordere apertiùs, poſtremò convellere, evertere, peſſumdare, ac ſimul totam Eccleſiæ faciem innovare, deturpare, conſpurcare, & totum Religionis jugum excutere. Nolumus quidem de Mariani cultus, aut invocationis Sanctorum

ctorum obtrectatoribus, aut, ſi ita vultis, reformatoribus hodiernis tam malè ominari. Hæc tamen omnia initia ſunt dolorum.

RESPONSIO.

(a) Exclamat, ais Eximie Domine, *Pſalmographus*: Quid detur tibi, aut quid apponâtur tibi ad linguam doloſam? *Sed nuſquam difficilius eſt adverſus eam ſe munîre, quam ubi in vagis ſolùm criminationibus hæret.* Hoc ergò quia ſcis, & quondam expertus es, jam hâc arte linguam ſtilumque exerces in eos, quos reos cupis, & exoſos. Jam dic, qui ſint Mariani cultus obtrectatores illi & Reformatores hodierni? quis, ubi, quando extitit? Unum tentas denigrâre Civem Colonienſem fortè à viginti plus minus annis ſepultum. Nullum ſcis alium? Nullum, niſi eum fortè, qui ait: (b) *Excedi poteſt in laudibus ejus atque cultu, ac haud dubiè à quibuſdam exceditur.*

Tantum non prætervieram, quod integro capite Epiſtola Paſtoralis commendet cultum Deiparæ & Sanctorum, Sodalitia & Confraternitates, ſed nullo capite cultum Dei. Quid hoc? Quæ illa Religio? Quanta hinc Hæreticis in tua Diœceſi ſcandala? Nullum ergò ſciebas circa cultum Dei in Belgio defectum? Tu, eximie Domine, qui doces cum Auguſtino nullum placêre Deo cultum ſine fide, ſpe, charitate?

Qui

(a) *Stejart in 110. prop.* (b) *Stejart ſupra.*

Qui teſtaris interim : (a) *A ſententiis ſuis modò damnatis generatim tantum recedere ſtatuunt, quantum rigor Cenſuræ invitos cogit (multum eſt*, addis infra, *ſi non in terminis tradant) damnatum eſt ſufficere actum fidei vel amoris Dei ſemel in vita elicere, ergò, inquiunt, eliciendus eſt in vita bis.* Teſtaris Concluſ. 23. in 110. de ſententia Archiepiſcopi Mechlinienſis & Jeſuitarum de obligatione amandi Deum & de attritione formidoloſa : *invenietur penè nunquam*, ais, *juxta hanc doctrinam opus fore actu dilectionis Dei.*

Teſtâris ibidem concl. 17. *Cæterum ſi damnatum ſit fidem explicitam unius Dei ſufficere ſufficientiâ medij ad ſalutem, quomodo nonnulli adhuc ſentire audent etiam ſine ulla Dei notitia adultum & mentis compotem aliquo caſu ſalvari poſſe?* Teſtâris concl. 18. *In quibuſdam ſcholis conſtanter tradi cœpit ſolam fidem unius Dei & remuneratoris neceſſitate medij neceſſariam eſſe.* Nempe nequaquam ſic neceſſariam eſſe Chriſti fidem, quâ ſolâ tamen Chriſtiani ſumus. Addis ad concl. 20. *Quid ergò tantoperè peccavit Eraſmus, ſi Socratem, Platonem, Senecam, alioſq; ejuſmodi viros in Gentilitate egregios Cælo donavit? Fecit dumtaxat, quòd non pauci poſt ipſum, qui in America, priuſquam Evangelij Præcones illuc pedem intuliſſent, plures nihilominus per fidem latè dictam ſalvatos confidunt.* Teſtaris in Aphor. 2. p. diſp. 20. *Cùm ferè ubique hic ſint quædam Hæreſum reliquiæ, quæ nuper docebant unumquemque*

(a) *Concluſ. 32. & 37. in 110.*

quemque ſalvari poſſe in fide ſua. Nimirum id manifeſtè ſequitur ex iis, quæ magnus & parvus Jeſuitarum Catechiſmus expreſſè docet Flandricè: *Nemo plus peccat, quam ſcit & novit malitiam peccati. Non poſſumus Deum offendere graviter, quando ſincerè, & prorſus putamus non magnum malum eſſe, quod facimus.*

Teſtaris inſuper concl. 31. in 110. prop. ad propoſitionem hanc à S. Congregatione proſcriptam: licet Chriſtianis actus publicos reverentiæ & cultus tribuere Idolo prætextu vel intentione Crucis, quam vel geſtent, vel in Altari inter flores abſcondant. *Eò tandem devenerat*, inquis, *libido fingendi regulas morum, quæ homines ab omni moleſtiâ propter legem Dei ſubeundâ eximeret.* Tu ergò cur jam idem & plura graviora & magìs enormia diſſimulas? Cur, qui paginas integras conſumis in commendandis Confraternitatibus & Sodalitiis, ne verbum quidem de tollendis prædictis abuſibus circa cultum Dei?

CAPUT VI.

De Catechiſmo.

OBſervari pariter religioſè cupimus Decretum Synodi † Mechlinienſis II. cui ſimilia ſanxit S. Carolus in * Concilio Mediolanenſi I. videlicet ut Parochi ſingulis Dominicis & aliis Feſtis Diebus, ſinguli in ſuis

Paro-

† *Tit. 11. cap. 6.* * *Tit. 4.*

Parochiis initia fidei rudioribus tradant; ne in eos recidat lamentantis Prophetæ improperium: (a) *Parvuli petierunt panem, nec erat qui eis frangeret.* Si per ſe id ipſos facere graviores curæ non patiantur, aut ſecus conſuetudo ferat nonnullis in locis, ubi delecti ex Religioſis Laminis Viri non ſine laude & teneræ ætatis, ac rudium hominum in Doctrina Chriſtiana progreſſu id munus exercent, ne ponant iis obicem ullum.

RESPONSIO.

NEquidem Patribus Societatis (addere poteras) etſi præfatos errores de fide & amore Dei, aliaque ejuſdem farinæ conſtanter eos docêre ſciant, ſive in Catechiſmis impreſſis, ſive alibi. Quam hæc olent, Ampliſſime Domine, illas Hæreſum reliquias, quas dicis ferè ubique hic eſſe: *Unumquemque ſalvari poſſe in fide ſua*?

SEd coadjutores ſuos in vinca Domini excolenda humaniter atque officiosè habeant: ſin ſolatium iſtud aut non habuerint hactenus, aut obtinere non poſſint, idoneos ſibi Viros ſubſtituant, qui teneras illas plantas ſolido Doctrinæ Chriſtianæ ac pietatis ſucco imbuant.

Catechiſmum autem non adhibeant alium, quam qui in Diœceſi noſtra jam olim probatus eſt. Nihil hic novi invehant. Novos Catechiſmos, novas docendi formulas, praxes novas ſuſpectas habeant. Experientia docet plerumque malè cedere res hujuſmodi tentantibus, ut non ita pridem malè ceſſit, famoſa quædam Septem Puncta in hanc Diœceſim ad rudium inſtructionem invehere conatis. Roma vix intellexit, & oppoſuit ſe, tantumque Cenſurâ ſuâ effecit, ut inconſulti conatus puduerit Auctores.

RES-

(a) *Thren.* 4.

RESPONSIO.

QUâ conſcientiâ, Vir Ampliſſime, ſola ſeptem puncta, quorum tu nullum non probas, ita exagitas, & parcis præfatis tam pernicioſis Jeſuitarum Catechiſmis, quorum alter major vernaculâ linguâ, præter plures alios errores, docet blaſphemiam & S. Eccleſiæ perſecutionem fuiſſe in Saulo dumtaxat peccatum veniale. De quo peccato tamen Auguſtinus teſtatur ſermone 298. *Tanto ſceleri tuo quis locus in fundo Gehennæ reperiretur?*

DIebus Dominicis aut Feſtis ſolemnioribus, quando de more verba faciunt pro corona ad majores natu, meminerint & obſervent quæ eodem loco S. Carolus monet, (a) *ut oves ſibi commiſſas ſalutaribus verbis pro earum ſenſu & intelligentiâ paſcant. Ne tamen oſtentandæ doctrinæ & eloquentiæ cauſa difficiles atque inanes quæſtiones, fucumq; orationis & pigmenta conquirant, undè ſui ipſius potius, quam Ieſu Chriſti Prædicatores eſſe videantur: ſed præcipuè in Evangelij, Symboli, Orationis Dominicæ, Angelicæ Salutationis, decem Præceptorum, Sacramentorum Eccleſiæ, & Sacrorum rituum dilucida explicatione verſentur.*

Quid opus illic de inſcrutabili divinæ Prædeſtinationis myſterio, de cæleſtium auxiliorum efficacia, de utriuſque cum libero arbitrio concordia, aliiſque id genus, de quibus hactenus Eccleſia nihil certi ſtatuit, ſubtiliter argutari, quæ multitudo vel non capiat, vel ſi capiat, ad ſolidam pietatem morumque emendationem haud magnopere conducant, quando interim Chriſtiani hominis officium pars multò maxima aut ignorat, aut non implet? Faceſſat è tem-

(a) *Part. I. tit. 6.*

plis hæc philoſophandi libido, non veritatis, ſed ingenij oſtentatrix. Scholis illa ſerventur, in quibus tractantur non inutiliter, modò tractentur ſobriè. Et ſuos enim Schola habet juſtos limites, quos qui prætereunt, manet præcipitium.

RESPONSIO.

(a) *Liceat tandem commotiùs rogare: quis tandem ſum qui talia ſapio?* Is es, Vir Ampliſſime, qui tam mutatus es à Doctore Lovanienſi Stejartio, ut te ipſe mirêris, meritòque obſtupeſcas. Is es, qui 1. parte Aphor. diſp. 32. doces ſuperbiam mortalem eſſe, *ſi bona, quibus excellit, ſibi & non Deo adſcribat*; & diſp. 41. *Quin ſi propiùs ipſorum præſertim Maſſilienſium mentem intueamur, abundè illis fuiſſet, ſi modò impetraſſent, quod modò quidam Catholici non longè rejiciunt. Nec ſcitur quâ ſpecie defendi poſſit*, ais diſput. 40. *peccari non poſſe ſine gratia.* Qui de Cenſura Lovanienſi in ejus aſſertione palam profiteris: *Omnes enim doctrinam libro ſæpè dicto contentam ſic ſuſpicimus, uti hæreditatem Patrum noſtrorum, à quâ non minus inviti diſcedemus unquam, quam Naboth à vineâ ſuâ... Parati ſumus omnes pro hac communi doctrina ſtare velut pro aris & focis.* Addis eamdem biennio ab Eccleſiâ Romanâ ad petitionem veſtram & Academiæ examinatam fuiſſe, nec improbatam: *Vt liceat mihi*, inquis, *dicere Apoſtolicæ Sedi, quod olim alius Deo dixit: ſi error eſt, à te decepti ſumus.* Et tamen, Ampliſſime Domine, Semipe-

(a) *Stejart in declarat. ad art.*

Semipelagianorum voces *non eſſe prædicandam po-pulo Auguſtini Prædeſtinationem & gratiæ efficaciam*, Non vereris hic repetere & Paſtorali Epiſtolâ confirmâre: voces, quas variis locis tam fortiter perſtringit *tua vinea Naboth, tua hæreditas Patrum, tuæ aræ & foci.*

Qui profitêris 1. parte Aphor. diſp. 37. *præcipuum ferè ſententiæ noſtræ fundamentum eſt tanta Doctoris gratiæ Auguſtini in diſcrimine gratiæ iſtius à moderna aſſeveratio, quantum videre eſt apud eum lib. de corrept. & grat. cap.* 11. *quamque ipſe procul dubio hauſit ex conſtanti ſui temporis fide & Theologiâ. Nec tam facile eſt*, ais infra, *reſpondêre ad notabilem iſtum Aug. locum: hoc ſcio neminem contra iſtam Prædeſtinationem, quam ſecundum Scripturas S. defendimus, niſi errando diſputare potuiſſe:* Et adhuc non vereris renovare Semipelagianorum querelas, quas refert, & ſimul illis & tibi reſpondet Auguſtinus Cap. 20. de dono perſ. *Quid eſt quod invitâ concluſi violentiâ veritatis rectè ſe iſti noſtri dicere exiſtimant.* ETSI VERUM EST QUOD DICITUR DE PRÆDESTINATIONE BENEFICIORUM DEI (utinam vel tantumdem dicant tui confæderati) NON EST TAMEN POPULIS PRÆDICANDUM. *Prædicandum eſt prorſus, ut, qui habet aures audiendi, audiat. Cavendum eſt igitur ne, dum timemus, tepeſcat hortatio, extinguatur oratio, accendatur elatio.*

Verùm, Ampliſſime Domine, conſilia veſtra ex effectibus patêre non ſentis? patet pro-

fectò & hic & alibi, quo fœdere cum tuis Epiſtolæ Paſtoralis Conpatribus Societatem iniveris: quibus contra communem hoſtem fortiùs unitis viribus premendum conſpiraveritis conditionibus, nimirum his: 1. De principiis, circa quæ nulla vel apparens concordia iniri poteſt, V.G. de prædeſtinatione & gratia, de obligatione amandi Deum ſive in ſuſceptione Sacramenti Pœnitentiæ ſive aliàs, tacendum eſt utrimque. 2. Circa concluſiones communi hoſti infeſtas utrique, quantum poſſumus, à noſtra doctrina recedendo ad invicem accedemus, ut talis, qualis poteſt, ineatur concordia. 3. Nonnunquam adverſariorum doctrinam & libros carpemus tantùm vagis & generalibus terminis V. G. *velut ex Orcò erutos, velut Diaboli armamentaria, velut venenatos lacus, & putrida ſtagna, flammis dignos, damnatorum dogmatum plenos.* Sic utrique licebit ſub generalibus terminis quandoque intelligere ſententias contradictorias, V. G. nobis cum Archiepiſcopo licebit in propoſitionibus diſſeminatis damnandam offerre Sedi Apoſtolicæ doctrinam quæ cenſet ad formaliter peccandum non requiri advertentiam malitiæ, & ſua Amplitudo poterit, dum libet, damnandam offerre ejus contradictoriam. 4. Cùm valdè acriter & diſertè contra communem hoſtem ſcripſerit Joannes Bruſſelius, Epiſtolam ejus ſic adoptabimus, ut ejus verbis & argumentis, ſed hoc pro viribus occultandum erit, communem Paſtoralem Epiſtolam inſtruamus.

Primam initi fœderis conditionem expreſsè hoc capite in materia de Prædeſtinatione & gratia exequimini. Similiter 2. & 3. per totam Epiſtolam, & 4., ut ſupra ad oculum demonſtratum eſt.

CAPUT VII.

De moderatione in Concione.

DIcteriis, Scommatis, Cenſuris abſtineant, neque inſulſis convitiis cathedram profanent, & in Ariſtophanis ſive maledicentiæ theatrum infame commutent. Opiniones, quas Eccleſia tolerat hactenùs, & doceri ſinit, Cenſoriâ virgâ ne notent Hæc quorumdam arrogantia multarum mater eſt turbarum atque ſeditionum. Chriſtum denique non Magiſtros ſuos prædicent, ne cæcos interdum duces cæci ipſi ſequantur. Certi ſumus hanc licentiam in nullo umquam pati impunitam, ſed Eccleſiaſticæ ſeveritatis vinculis pruritum intolerabilem frænare. Habet ubi ſe Chriſtiana eloquentia exerceat, licet in virulentas Satyras adverſus Fratres, adverſus commilitones ſuos, adverſus Cleri Collegia, adverſus Religioſas familias non prorumpat; licet odio, atque invidiæ & amaro zelo, quem S. Jacobus plurimùm increpat, & ex Chriſtianis cætibus exterminatum it in Catholica ſua Epiſtola, non velificetur. Neque hæ tantum apertæ rixæ nobis, & bonis omnibus diſplicent, ſed obliqui quoque ictus morſuſque figurati, & intortæ velut ſub ancipiti verborum velo ſicæ, quò ſæviendi genere nonnulli videri ſe mirè ingenioſos exiſtimant.

In reprehendendis vitiis, monet S. Carolus ibid. *Ita ſe gerant, ut pietatis & charitatis ſtudio eos adductos, non hominum, ſed peccatorum odio id facere omnes intelligant.* Ne ſic igitur regnantia publicè vitia caſtigent, ut è corona

 quem-

quempiam, digito, ut aiunt, ſignent, ruboremque non illi ſolum & ſtomachum, ſed concioni univerſæ moveant: quo quid poteſt eſſe durius, & à Chriſtiana lenitate & prudentia alienius? Quanto rectius ſeorſim corripietur juxta Chriſti Servatoris regulam? Quanto majori cum ſpe emendationis & fructu, quiſquis ita reus eſt, cum videbit ſincerè paternèque ſecum agi? At publica reprehenſio & è Cathedra, quæ ſpeciem habet contumeliæ, exaſperabit animum, à Concionibus & Templo deterrebit quantumvis vitæ melioris cupidum, in deſperationem aget præcipitabitque impatientem injuriæ.

Nec carnis vitia reſque venereas ſic inceſſantè cathedra, recenſendo omnia enucleatius, & vivacius repræſentando, ut nullus honor ſit auribus caſtis, & peccare potius doceant, quam à peccato deterreant. Materia tam lubrica & delicata delicatè tractari amat, & pinguem Minervam oſque inſulſum odit maximè. Nequaquam convenit hic eſſe nimios, & experientia ipſa docet quoſdam per ejus generis conciones factos eſſe deteriores, pronioreſque in libidinem, alios adhuc integros puroſque ſceleris frequenti admonitione ſollicitatos ad flagitium. Ad promiſcuam ætatis omnis, ſtatûs, conditionis & ſexûs multitudinem jacere periculoſum eſt, quod prodeſſe paucis queat, nocêre pluribus.

Quidquid autem tractandum ſuſceperint, graviter, attentè, religiosè tractent, memores perſonæ quam ſuſtinent, & Verbi Divini, quod explanant. Materiæ dignitati totius corporis habitus, oriſque Majeſtas reſpondeat. Nihil ſit in geſtibus leve, in voce molle, in dictione effæminatum, aut ad riſum potius, quam ad pios animorum motus excitandos compoſitum. Neque ſic affectent populares eſſe, aut rerum naturam exprimere, ut acceptis è trivio verbis mimum agere videantur, non Evangelij præconem: in quo non pauci ſe decipiunt, ac ſi punctum omne ferrent, ſibiq; blandiuntur.

RES-

RESPONSIO.

IN *quo præcipuè peccâre contingit Religioſos*, ait ex adoptato Janſonio Stejartius de ratione concionandi, *qui hujus gratiæ, quâ pollent ad populum, occaſione, ſuæ Religionis diſciplinam, in qua ſilentÿ ſui tempore lactati, nutriti, validi effecti ſunt, penitus enervant, & quod multo antea labore comparatum fuerat, philautiæ hujus morbo conſumi patiuntur.*

IN ſacris denique Oratoribus locum minimè habeat illud: *fungor vice cotis.* Non facilè quempiam exacuet, niſi ipſe acutus ſit, neque cæleſtibus flammis accendet auditorum pectora nive frigidior. Se priorem animet oportet, affectus eos in ſe concitet neceſsè eſt, quos in aliis concitandos ſuſcipit. Spes verò fructus omnis evaneſcit, ſi ſua dicta factis deſtruat, & de virtute locutus magnificis verbis deprehendatur in flagitio, iiſque obnoxius vitiis, quæ pro corona maximè exagitat. Via ad virtutem inſinuandam animis compendioſiſſima eſt per exempla, quibus præcepta exprimantur. Hinc *cœpit IESVS facere & docere.* Via per præcepta exemplis deſtituta longa, anfractuoſa, invia, ſine exitu, & ut verbo abſolvamus, labyrinthus.

RESPONSIO.

VTinam hæc obſerventur! utinam non tam ſtudeas à ſacris omnibus arcêre, qui hæc obſervant, quam in illa intrudere qui negligunt.

CAPUT VIII.

De Sacramento Pœnitentiæ, præloquium.

NUnc veniendum ad graviſſimum Paſtoris munus & periculi plenum, quod in fideli Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtratione conſiſtit. Id nos ante omnia ſolicitos habet, noctesque & dies excruciat. Adeo multis, adeò variis pulſamur quotidie querelis, aliis nimium quorumdam rigorem & ferream duritiam culpantibus, & aliis immodicam laxitatem & ignavam conniventiam vocantibus in crimen.

RESPONSIO.

P*Ro aliquot etenim peccatis mortalibus*, ais Eximie Domine, Theſi de pœnit. §. 21. *nonniſi totidem fortè Roſarij decades, ſi non eſt leviſſima pœnitentia pro peccatis gravibus; quid verò tale erit? Atque hæc dum ab aliquibus practicantur, dum ipſis identidem à nobis objectantur, nihil habemus reſponſi, præter fabulas, quas viciſſim objiciunt, de fœno, induſio humido, & ſi quod aliud fingunt, vel ab aliis fictum accipiunt.* Scilicet hæc eſt *ferrea duritia*, quæ culpatur.

NUllibi tantâ opus prudentiâ, tantâ circumſpectione, tanto judicio ac ſpiritûs diſcretione, tantâ bonorum Auctorum peritiâ, ſententiarumque delectu, tot occurrentibus perplexis ambiguiſque quæſtionibus, ne ſiborum conſcientias injuſtis vinculis gravent, aut juſtis ſine cauſa expediant

diant. (a) Hinc Synodus Mechlinienſis II. S. Carolo adſtipulante in ſua inſtructione monet, (b) ut *ob graves & diverſos ſcrupulos, qui pœnitentibus in dies occurrunt, & plurimas difficultates ſibi cohærentes habent, bonos & claſſicos auctores nonnullos, qui caſus conſcientiæ exprofeſſo tractant, manibus continuò terant.* Leges in negotio tanti momenti omnibus & ſingulis ſervandas præſcribere arduum eſt, & tantum non impoſſibile: in quo unicuique ſua probitas & maturitas, ac proximi amor, & in Chriſtum fides debet eſſe pro legibus. mentem tamen noſtram ſuper hoc aperire brevibus & dilucidè haud gravabimur.

RESPONSIO.

Sed ſemper recordare, Ampliſſime Domine, Eximij Stejartij teſtantis: (c) *Non ſolùm omnium harum propoſitionum* (damnatarum inter 65.) *Cenſura demonſtrat, ſed & laxiſsimus quiſque Caſuiſtarum admittit non paucos dari caſus, quibus neganda vel differenda ſit abſolutio. Qui ergò fieri poſſe dicas, ut tot ſint Confeſſarij promiſcuè quibuſlibet audiendis expoſiti, qui etiam in gloriæ ſuæ titulis ultrò ponunt ſe nunquam in vita quemquam ſine abſolutione dimiſiſſe? Num fortè vel inde non manifeſtum evadit, praxim in re morali adhuc aliquantò corruptiorem eſſe, quàm Theoriam?*

CA-

(a) *Tit. 5. c. 5.* (b) *Cap. 1.*
(b) *In notis ad 110. concl. 89.*

CAPUT IX.

De Lenitate Confeſſarij.

ANte omnia Sacramenti hujus adminiſtri ob oculos propoſitũ ſemper habeant Chriſti Domini Dei Servatoriſque noſtri exemplum, cujus in hoc munere vices obeunt: lenitatem ejus & benevolentiam, ac pronam in reos culpam ſuam agnoſcentes voluntatem imitentur, cui vitio aliquando verſum eſt à ſuperbis maligniſque hominibus, quod peccatores reciperet, cumque illis veſceretur. Fuerit licet cardiognoſtes, hoc eſt cordium ſcrutator, nihil illum ex intimis animi latebris, ac receſſibus fefellerit, ſuis tamen hac in parte diſcipulis prævit, ne faſtidirent quempiam, aut repellerent ad meliorem vitam aſpirantem ſuorumque ſcelerum pertæſum. Cogitent avarum eſſe non debere diſpenſatorem, cujus Pater familias largus eſt.

RESPONSIO.

ALiam nuper comparationem adhibebat Jeſuita Miſſionarius Roterodami, dum in Paſſionis hiſtoriâ pro concione dicebat: *Si Judas triginta Argenteis vendidit Chriſtum, Sacerdotes modò non decet, ut eum Regnumque ejus carò vendant.* Ita ſequebatur hic praxim Apoſtoli, ſicut Epiſtola Paſtoralis praxim illius Jeſuitæ & imaginis primi ſæculi lib. 3. quæ Societatis nomine facilitatem obtinendæ veniæ exhibet his verbis: *Alacriùs multò, atque ardentiùs ſcelera jam expiantur, quam ante ſolebant committi, plurimi vix citius maculas*

culas contrahunt, *quam eluunt.* & luculentiùs per Emblema, in quo canis toto corpore ulceroſi ſaniem lambit. Cum hac ſubſcriptione. FERT LINGUA MEDELAM. Sequuntur inter alia hæc pulcherrima Carmina.

Ah miſer! Ah neſcis! non te manus aſpera tanget:
Tibi ſola ferre lingua medicinam poteſt.
Vulneribus non ſola canum fert lingua medelam:
Loiola in hujus muneris partem venit.

CAPUT X.

De praxi Eccleſiæ modernâ.

Eccleſiæ Matris ſuæ conſuetudinem & praxim teneāt longo ſæculorum uſu probatam, neque ſupra ſuam ſe magiſtram erigant, aut ejus indulgentiam auſu temerario corripiant. Non ſuſpirent ſemper antiqua ſæcula, & primævum in Matre ſua ætatis florem vigoremque repoſcant, faſtiditis rugis caniſque deſpectis. Habuit Eccleſia olim, ut quod res eſt loquamur, ex quo corrigi poſſit hodierna diſciplina, ſed & jam habet, undè corrigi potuit antiqua, quemadmodum periti temporum & rerum norunt atque teſtantur. Non eſt filiorum in Matris annos inquirere, aut exprobrare ſenium, aut novâ metamorphoſi velle recoquere. Plus quam ſatis eſt adhuc ipſa vigoris habet, ſuperis ſit gratia, ut ſibi ſuiſque proſpiciat, & ſi quid noxium accrevit, reſecet, & ab Epiſcopis reſecandum moneat.

RESPONSIO.

I*Mprimis certiſſimum eſt*, inquit Stejartius Theſi de pœnit., *quod ait Paſtorale Mechlinienſe ſub Horio*

vio editum anno 1598. Infirmitas hominum jam non patitur, ut condignæ eis pœnitentiæ juxta veteris Eccleſiæ Diſciplinam imponantur: *neque ullus, quod liqueat* (audi Ampliſſime Domine tuam confutationem à teſte non ſuſpecto) *id hodie contendit. Tantum ſatagunt multi*, *quod idem Paſtorale mox verbis jam citatis ſubjungit*, ad quam tamen *inquit* (*Diſciplinam*) quantum fieri poteſt, redeundum eſt.

Vide ergò quàm tibi contradicas. Vide quàm iniquè juxta proprium tuum teſtimonium multos accuſes. Vide quam hic non ſolùm mercium ſeu dogmatum, Ampliſſime Domine, ſed etiam cantionum Jeſuitarum Mangonem agas, ut oſtenſum eſt ſupra ex collatis cum his Joannis Bruſſelij Jeſuitæ verbis: *Viſum eſt Gallis in Eccleſiæ Matris ſuæ annos inquirere, amiſſum vigorem priſtinum, rugas ævo diuturniore contractas, fatiſcentes ſenio vires exprobrare. Viſum eſt & Belgis &c.* Plura pro hoc parallelo ſunt ſupra exhibita.

Quod autem vagas hujuſmodi accuſationes attinet: an hoc eſt *Eccleſiam velle recoquere*, *rugas ejus deſpicere*, *ſupra ſuam ſe Magiſtram erigere*, ſi laxitates quorumdam, & Diſciplinæ corruptiones, quas ipſa Eccleſia improbat, etſi non rarò cogatur cum gemitu eas tolerare, optent genuini ejus filij corrigi ad veteris Eccleſiæ exemplum? Si ad veterem Diſciplinam, quantum fieri poteſt, & humana infirmitas permittit, ſtudeant redire? Quid aliud ipſe ex Paſtorali Mechlinienſi edito

ſub Hovio mox præcepiſti? Quid aliud Sancti omnes fecêre? Quid aliud faciendum inculcavit S. Carolus? *Exulcerantur*, ait Conc. Med. 6. *animi quorumdam dictitantium*, Non ferunt hæc tempora veterum Canonum & antiquæ Eccleſiæ medicamenta. *Imò ardentiùs proſequamur, quoniam hæc una medicina præſtantiſſima eſt, maximèq; opportunum id remedium, ut, quibus olim rationibus Diſciplina Chriſtiana ſata & propagata fuit, iiſdem ipſis & inſtauretur & propagetur.* Qui his exulcerantur vocat FILIOS PERDITIONIS loco ſupra citato. Notum eſt inſuper quanto labore & ſollicitudine antiquos Canones Pœnitentiales ipſe collegerit, & commendarit, dum ſtatuit: *Confeſſarius Canones Pœnitentiales ſciat oportet, nam quamvis illi poſſint & debeant ſecundùm prudentis & timorati Confeſſarij arbitrium mitigari, prout pœnitentis contritio, perſonarum qualitas, diverſaque conditio, aliæque circumſtantiæ exigent, utiliſſimum tamen eſt, ſemper iſtos Canones præ oculis habêre, & ad eos tamquam ad regulam reſpicere, quantum expedire videbitur.* Ergò vel S. Carolus & ſua Amplitudo ipſa cum Paſtorali Mechlinienſi edito per Hovium volunt Eccleſiam modernam recoqui, vel nullus hoc vult inter Catholicos. Quod poſtremùm manifeſtè confeſſus es.

NEminem faſcinet ſpecioſum Reformationis nomen, quod à Calvini temporibus meritò odioſum eſſe cæpit atque ſuſpectum. Non eſt privati hominis aut Doctoris Eccleſiam, & receptas toto orbe Catholico conſuetudines reformare

formare. Romanorum Pontificum atque Epiſcoporum id proprium eſt opus, quos torpere, aut in præſenti Eccleſiæ neceſſitate turpiter connivere promiſſus illis Sanctus Spiritus haud ſinet. Ad rem tantam privatâ authoritate aggredi, quæ nulla eſt, viam eſt ſternere, loquimur liberè ut nos decet: ad ſchiſma.

RESPONSIO.

Etiam poſt Calvini tempora Reformationis nomen S. Carolus, Thereſa alijque Sancti quin & Buſcoducenſes Epiſcopi Metſius & Maſius judicârunt admodum glorioſum: ſed illud huic Epiſtolæ Paſtorali odioſum eſt, & ſuſpectum. *Et quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia primùm Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertiò Doctores.* Quis dubitet etiam ad hos ſpectâre errôres & mores corruptos, docendo ſtrenuè reformâre? Quid aliud feciſti, Eximie Domine, priuſquam eras Epiſcopus, aut umbra Epiſcopi, edendo Theologiam nunc *Emendatam*, nunc *Expurgatam*, hoc eſt, vel diſcerne ſi potes, *Reformatam.* Scilicet tunc hoc tibi licebat. Sed poſtquam factus es Vicarius Silvæducenſis, nulli amplius reformâre licet, niſi ſit Epiſcopus, aut Epiſcopi umbra.

Ne igitur Pœnitentiæ opera promiſcuè ipſi peccatorum veniæ & condonationi præmitti poſtulent, aut exigant, ſi peccata ſint occulta; neque hunc olim viguiſſe morem prolixè jactent, nullo ſatis certo teſtimonio.

RESPONSIO.

(a) PRo ſolutione ſit, ais, *haud dubiè multos reperiri, qui non ſcientes cur credant, etiam verè non credunt ... Ex fructibus ergò illorum communiter cognoſcemus eos. Vera enim fides,* [& præſertim illa, quæ amore Dei ſaltem affectu ſuper omnia animatur]. *etſi non ſemper juſtitiam ipſam, varia tamen juſtitiæ opera ſecum habêre ſolet.* (b) *Sola Confeßio non eſt generatim ſufficiens dolôris ſeu contritiônis ſignum, quod aliquis* (ex ſociis Conpatrum hujus Epiſtolæ Paſtoralis) *non ita pridem in ſcriptis ſuis volebat.*

Optimè, Eximie Domine, atque indè patet opera bona, dum ante abſolutiônem requiruntur, nequaquam ideò requiri, quaſi ſatisfactio debêret neceſſariò præcedere abſolutiônem, ſed ut ſigna veræ fidei & converſiônis, vel ut diſponentia ad converſiônem, quandoquidem ſola Confeſſio non ſit ſufficiens dolôris ſeu contritiônis ſignum. Cur ergò hæc doctrina Stejartij ab Epiſtola Paſtorali vapulat? Jam tuæ Theologiæ convenit, quod habes Concluſ. 52. in 110. *Rurſus cernimus verſatilem hanc Theologiam in hoc uno fixam firmamq́; ut cupiditatibus & licentiæ faveat.*

AT viguerit mos iſte, & veteres laudent per nos licet, modò utantur annis ſuis: ſi conſultum id certis quibuſdam caſibus videbitur, neque ſperentur alia remedia ſucceſſura

(a) *Stejart 2. p. Aphor. diſp. 3.*
(b) *Theſi de pænit. §. 31.*

ceſſura, aut effectum ſortitura tam bonum, conſiderato maturè pœnitentis ſtatu, non vetamus quominus hâc viâ infirmi ſaluti proſpiciant; verum id non fiat per tempus nimis diuturnum, neque annos integros auferat.

Nullis poſthac excidant damnatæ voces & recenter ab Alexandro VIII. Pontifice proſcriptæ graviſſimo Decreto: „ Ordinem præmittendi ſatisfactionem abſolutioni induxit „ non politia aut Inſtitutio Eccleſiæ, ſed ipſa Chriſti lex & „ præſcriptio, naturâ rei idipſum quodammodo dictante. „ Per illam praxim mox abſolvendi ordo pœnitentiæ eſt „ inverſus. Conſuetudo moderna quoad adminiſtrationem „ Pœnitentiæ etiamſi eam plurimorum hominum ſuſtentet „ authoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, ni- „ hilominus ab Eccleſia non habetur pro uſu, ſed abuſu.

RESPONSIO.

ADdidiſſe oportêbat, Ampliſſime Domine, quod teſtâtur Eximius Stejartius: (a) *Cenſuras adverſus errôres abſtractos & ſpeculativos* [& multò magis adverſus eos, quorum damnatio favet licentiæ & libertati] *avidè excipimus: ſed quibus errôres ad praxim facientes profligantur, morumq; noſtrôrum licentia aſtringitur, ingratæ ſunt & ſemper erunt. Quin illa multis multò gratiſſima foret, quæ* [*ſi fieri poſſet*] *univerſum Decalogum antiquâret, quia nempè favêret libertati.*

Nullis ergò poſthac, ut quondam hujus Epiſtolæ Conpatribus, excidant damnatæ voces ab Innocent. XI.: *Non tenêmur Confeſſario interroganti fatêri peccati alicujus conſuetudinem: proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſa aliqua*

(a) *Stejart in 110. in proëm.*

aliqua utilis aut honeſta non fugiendi occurrit. Et plures ejuſdem furfuris. Siquidem rectè alibi mones, Eximie Domine: (a) *Quid verò etiamnum eos facere exiſtimes, qui harum propoſitionum cenſuram non recipiunt, aut ſaltem ſuſque deque habent? Qui à ſententiis ſuis modò damnatis generatim tantùm recedere ſtatuêrunt, quantùm rigor cenſuræ invitos cogit. Multum eſt, ſi non in terminis tradant.*

CAPUT XI.

De dilatione Abſolutionis.

ILlis caſibus veniam procraſtinent (neque enim ſegnes miniſtros cupimus, aut molles medicos, ſed qui pro tempore & loco, & morbi neceſſitate tam linere plagam unguento ſciant, quam urere & ſecare) quos Rituale Romanum & Paſtorale Mechlinienſe exhibet. Si qui rei nempè Sacrum Tribunal acceſſerint, (b) *qui nulla dant ſigna doloris, qui odia & inimicitias deponere, aut aliena, ſi poſſint, reſtituere, aut proximam peccandi occaſionem deſerere, aut alio modo peccata derelinquere, aut vitam in melius emendare nolunt:* aut, ut utamur verbis S. Caroli, (c) *niſi in poſterum ſeſe emendare promittant, nullo modo eos abſolvant; quod ſi in ſe recipiant ea ſe facturos, nec horum admoniti umquam à Confeſſario vel Paſtore, præſcripto modo fuerint, poterunt eos abſolvere.* Rurſus pergit idem Sanctus: (d) *Nec eos abſolvant, qui cum peccatis mortalibus ſimul etiam eorum occaſiones vitare planè non proponunt. Si pœnitens,* inquit alio loco, (e) *recipiat in ſe media à Confeſſario præſcripta, poterit abſolvi.* Rurſus ait: (f) *Si probabili-*

(a) *In Theol. emend.* H *ter*
(b) *De Sacramento Pœnit.* (c) *Inſtruct. p. 2. c. 13.*
(d) *Cap. 15.* (e) *Cap. 26.* (f) *Cap. 17.*

ter ſibi Confeſſarius perſuadeat poſſe ſe fidem primæ vel ſecundæ à pœnitente ſibi promiſſioni factæ dare, quod ſcilicet occaſionem auferet, poterit eum promiſſionis intuitu abſolvere. Paulò ante præmiſerat: (a) *ſi tamen fuerint ſæpius reprehenſi, nec ſeſe correxerint, tamdiu abſolutio differatur, donec promiſſa appareant, veraq; emendationis argumenta aliquo temporis ſpatio oſtenderint.*

S. Franciſcus Saleſius, quo nemo fuit in regendis animis dexterior, quem longus uſus & experientia docuit rectè conſulere, abſolvendos negat injuſtos, *niſi ſe ſatisfacturos promittant*: conjugatos diſſentientes, *quamdiu perſeverant in iſta mala voluntate*; illegitimè poſſidentes beneficia, *niſi ſe defectus correcturos promittant*; rixoſos, & qui rancorem aut inimicitias habent, *niſi velint ex parte ſua condonare & inimicis reconciliari.* Extra hos, alioſque id genus caſus, probare nullo modo poſſumus frequentes repulſas, aut ordinarias procraſtinationes, quæ morbos non tam levent, quam exaſperent.

RESPONSIO.

IAm meritò ut nuper, exclama Eximie Domine: (b) *Quis tandem ſum, ſi talia ſapio?* Quantum diverſa Vicarij Silvæducenſis doctrina à doctrinâ Stejartij Doctoris Lovanienſis! à doctrinâ quidem, quam edidiſti non ex fervore juvenili, aut amore Lovanienſium; ſed poſtquam Doctoralem Lauream adeptus cœpiſti, ut gloriâris, proferre ſententias: Poſtquam Româ redux, ſenſum Eccleſiæ Romanæ non ignorabas: poſtquam palam profeſſus es te non magis præſtâre doctrinam Lovanienſium, quam Alcoranum. Poſt hæc tempora caſus alios innumeros præter hos

(a) *Cap. 13.* (b) *Stejart ad declarat. art. 24.*

hos ab Epiſtola Paſtorali aſſignatos ſtatuis, quibus abſolutio rectè differatur, quorum aliquos libet hic exhibere.

Patet non ſatis eſſe, ais Concl. 87. Theologiæ emendatæ, *quòd penitens ore proferat ſe dolêre, & proponere emendationem: adeoque non credendum ſemper illi hoc pro ſe dicenti, in quo ipſemet facilè ſibi imponat. Ex quibus omnibus tandem patet non rarò hominibus ad Sacramentum Pœnitentiæ venientibus (Pœnitentes enim omnes vocâre non poſſumus, cùm alius eò dumtaxat veniat dicis causâ, alius ut conſcientiæ turbas ſedet, alius motivis aliis non melioribus) differendam eſſe abſolutionem, donec ſe eâ dignos reddant.*

1. igitur, Eximie Domine, doces, differendam abſolutionem iis, qui tantùm veniunt *dicis causâ*, quales, Deus bone! quam multæ veniunt præſertim filiæ vulgò devotæ.

2. Iis, qui tantùm veniunt *ut conſcientiæ turbas ſedent.*

3. Iis, qui veniunt *aliis motivis non melioribus*; quæ latius enumeras theſi de pœnit. §. 44. ac inprimis iis, qui veniunt ex levitate.

(a) 4. Iis, qui veniunt ex *arida conſuetudine.*

(b) 5. Iis, qui veniunt ex *deſiderio hominibus placendi.*

(c) 6. Iis, qui veniunt ex *deſiderio captandi pietatis famam.*

(d) 7. Iis *quoque, qui etſi ſe omiſſuros dicant*, *ſatis*

H 2

(a) *Ibidem.* (b) *Ibidem.* (c) *Ibidem.*
(d) *Theſi de pœnit.* §. 33.

ſatis tamen noſcuntur non omiſſuri; adeoque nec ſeriò id quidem velle. Quod maximè patet, ſi hactenus idem polliciti, tamen non omiſerint, nec media quidem à Confeſſario præſcripta ſatis impenderint.

(a) 8. Iis *deindè, ſi conſuetudine peccandi irretiti nullâ adhuc forti & firmatâ voluntate in contrarium muniti videantur, ſed adhuc cum Auguſtino ſemi ſauciâ voluntate inter velleitates deſideriaq; jactentur. Non requirimus tamen ut prorſus omni habitu malo è pravis actibus relicto propenſioneq; etiam ingenti è conſuetudine ortâ liber ſit pœnitens, quippè quâ ne Sancti quidem converſi, aliquando intra annos plurimos liberati ſunt: ſed ut ſaltem voluntate in contrarium, ut diximus, firmatâ (quod quidem ſapè temporis alicujus experientiâ, aliquando etiam alia probare poterunt) jam planè velle cenſeantur vitam in melius emendare, uti Auguſtinus ſub ficu jam velle cœperat.*

[b] 9. *Quæſtio oritur*, ais, *an æger inducendus ad Confeſſionem generalem?* ℟. *Id ſæpè expedire, nempè ſi negligentiùs vixit, ſi tepidè confiteri ſolêbat, ſi alternando Confeſſiones & peccata gravia vitam duxit, vel aliter de præcedentibus Confeſſionibus prudens ſit metus, denique ſi morbi ſtatus permittit.* Multò magis igitur cenſes iis caſibus differendam abſolutionem, dum ſani ſunt; ſi propter illos ad Confeſſionem generalem urgendi ſunt, dum ægrotant.

10. *Sequitur ibidem* [in Manuali Cameracenſi] *alius*

(a) *Ibidem.* (b) *Ibidem de cura infirmorum* §. 3.

alius non abſolvendi caſus neque etiam eos (*abſolvat*) in quibus aut nulla materia reperitur [quales ſunt qui quantumcumque à Confeſſario examinati ne unius quidem venialis peccati ſe accuſant, licet dicant in genere ſe peccaſſe & dolêre] aut idonea materia non reperitur, *clara hæc ſunt*, ais, *& explorata... Aliquando etiam* [caſus accidit] *in rudibus, incultis, & ad res animæ quod attinet inſenſibilibus, nec interim parum vitioſis. Hi etiam à ſacra Communione arcendi ſunt & remittendi ad conſcientiam ſuam, quam melius examinent.*

11. Ibidem de Euchar. §. 10. doces : *Monet deindè Paſtorale vetus Hovianum.* Poſtulat, inquit, tanti Sacramenti dignitas, ut qui Matrimonio juncti ſunt, ante Communionem aliquot dies abſtineant. *Ita tota antiquitas....culpam item omnes dumtaxat levem in ſecus facientibus agnoſcunt, ut proindè hæc veritas quidem omninò tacenda non ſit... tenenda verò & in Theologia aſſerenda fortiſſimè: tum quia veritas eſt, eaq; antiquiſſima, quòd ſolùm ſufficeret, tum quia ex illa gradatim aſcenditur ad veritates multò maximas & ſummi momenti. Si enim diebus aliquot abſtinet conjux à conjuge, ne faciat contra quam tanti Sacramenti dignitas poſtulat, ſi eandem ob cauſam Communione abſtinet, qui illuſiones nocturnas nullo aut exiguo cum peccato paſſus eſt: Quid erit de fornicario, adultero, molli, nefando, & præſertim [pudor!] Sacerdote? Vndè qui hos poſtremos adhuc à flagitio recentes, mediâ tantùm neſcio quâ Confeſſione* (ſatis indicas non donan-

 dam

dam abſolutionem) *ad Menſam atque ipſum Altare Domini protrudere non verentur, magnis proindè animis hanc noſtram de conjugibus ſententiam impugnare ſolent.*

12. 2. parte Aphor. diſp. 3. dicis: *Haud dubiè multos reperiri, qui non ſcientes cur credant, etiam verè non credunt... Ex fructibus ergò illorum communiter cognoſcêmus eos: vera enim fides etſi non ſemper juſtitiam ipſam, varia tamen juſtitiæ opera ſecum habêre ſolet.* Ergò haud dubiè multis illis communiter differenda eſt abſolutio, præſertim dum vix ulla juſtitiæ opera exhibent.

13. Doces Theſi de pœnit. §. 31: *Præeunte Paſtorali Mechlinienſi intrepidè affirmâre pergimus, cum probabilis negâri non poßit ſententia aſſerens neceßitatem amoris Dei benevoli ſaltem affectu ſuper omnia, eaque tutior ſit, & agatur de valore Sacramenti, abſolutè eam ſequendam in praxi, ne Sacramentum ipſum probabili periculo nullitatis, & pœnitens periculo damnationis exponatur. Hoc autem poſito mirum quantum ſufflaminetur nimia illa in abſolvendis quibuſlibet aliquorum facilitas: vel ipſis etiam teſtibus non adeò obvia eſt amoroſa illa pœnitentium diſpoſitio. Hæc verba mea,* ait Stejartius in declaratione ſua 23. Februarij 1693. *Hic apertißimus ſenſus meus & qui tunc fuit, & qui nunc eſt, eritq́, ut confido, dum vixero.* Nempè verba tam clara & ſenſus tam apertus, ut declaratione non egeant. Proindè parum moramur, quòd declarat ſe Theſi ſuâ majori de pœnitentia docuiſſe aliqua, quæ non ſatis prædictis

dictis verbis apertiſſimoque ſenſui cohærent. Hoc enim neque novum ei, neque inſolitum eſt, ut centenis exemplis hoc ſcriptum demonſtrat. Ita quidem ut ſi circa ſingulas traditas à ſe pridem veritates, quibus tum in Epiſtola Paſtorali, tum alibi contradicit, vel à quibus deſcivit, pergat edere declarationes ſimiles; brevi dabit Opus iustæ molis. Ergò ex prædictis verbis infertur regulariter differendam eſſe abſolutionem iis, qui dolent ex ſolo timôre.

14. Præterea ſi *vel ipſis teſtibus non adeò obvia eſt amoroſa illa pœnitentium diſpoſitio*, ergò non obviis quibuſcumque etiam extra caſus ab Epiſtola deſcriptos danda eſt abſolutio, ſed inquirendum, an illam diſpoſitionem habeant: cum inſuper ſupra doceas: *non ſatis eſſe, quod pœnitens ore proferat ſe dolêre, & proponere emendationem, adeoque non credendum ſemper illi hoc pro ſe dicenti, in quo ipſemet facilè ſibi imponit.* Undenam diſpoſitionem illam neceſſariam amoris Dei benevoli ſaltem affectu ſuper omnia licebit colligere? quod ſupra de ſola fide aſſeris, multò magis de fide per hujuſmodi dilectionem operante intelligis: *ex fructibus ergò illorum communiter cognoſcemus eos. Vera enim fides, etſi non ſemper juſtitiam ipſam, varia tamen juſtitiæ opera ſecum habêre ſolet.* Conſequenter dum hæc deſunt, cenſes non adeſſe ſigna ſufficientia pro cognoſcenda diſpoſitione neceſſaria.

15. Theſi de pœnit. §. 22. de veteri Eccleſiæ diſ-

 ciplina

ciplina circa adminiſtrationem Sacramenti pœnitentiæ teſtâris: *tantum ſatagunt multi, quod idem Paſtorale mox verbis jam citatis ſubjungit*, ad quam tamen *inquit* (Diſciplinam) quantum fieri poteſt, redeundum eſt. Addis §. 49. ex eodem Paſtorali, *quòd in veteri Eccleſia abſolutio impendi ſoleat pœnitentiâ prius peractâ.* Si ergò Paſtor aliquis cum ſuo populo poſſit ad illam Diſciplinam paulò propiùs accedere, quàm accedat tua Epiſtola Paſtoralis, poterit juxta tuam & Mechliniensis Paſtoralis Hoviani doctrinam rectè non raro differre abſolutionem, etiam extra caſus ab hac Epiſtolâ Paſtorali aſſignatos.

16. *Si quis*, ais nota 12. ad 32. *à pœnitentibus ſuis impetrat*: *ut hi more priſco ſecum agi velint, non imperabit Eccleſia ut aliter fiat.* Cur ergò Epiſtola tua Paſtoralis imperat ut aliter fiat? Ignorare non potes Eximium D. Huygens, Opſtratium ſimileſque, quos accuſas, regulariter impetrare à ſuis pœnitentibus, ut eo more ſecum agi velint, quo agunt Directores; ac proindè fatendum tibi, quòd multis caſibus ab Epiſtola Paſtorali non aſſignatis non malè differant abſolutionem. Scis, quòd cui odor caſei gravis eſt, non ſoleat frequentare officinam, cui nil præter caſeum proſtat. [a] *Comparatio pinguis eſt* (verbis tuis utor) *ſed tales, ut aiunt, benè docent, maximè ubi errores nihilo ſubtiliores refellendi ſunt.*

17. Ultra-

(a) *In notis ad 110. concl. 77.*

17. Utraquè Synodus Buſcoducenſis, quam nuper edidiſti, decernit, prima quidem cap. 5. de Sacramento pœnitentiæ, & 2. habita ſub Maſio anno 12. hujus ſæculi cap. 5. eodem titulo. *Adhortentur eoſdem* (Parochi ſubditos) *ut tempore Quadrageſimali ſtatim in principio peccata confiteantur, nihilominus Confeßionem reſumant, antequam ad ſacræ Euchariſtiæ ſumptionem feſto Paſchæ accedant*, nimirum ut interea ſecundùm conſilia Confeſſariorum ad abſolutionem & communionem, ut olim moris fuit, ſe dignè diſponant.

Itaque jam liceat convenire Amplitudinem ſuam, & enixè rogâre, an hos ſeptemdecim caſus, vel etiam pleroſque illorum, quibus rectè docet differri abſolutionem, quibus ſingulis continentur caſus milleni & innumeri, putet comprehenſos ſub caſibus aſſignatis ab Epiſtola Paſtorali? Quid ais? Si putas non comprehenſos, ſicut & manifeſtum eſt, & palam aſſerunt alij tuæ Paſtoralis Epiſtolæ Conpatres: quomodò tu cum illis potuiſti in eamdem regulam differendæ abſolutionis conſecrandam, ſtabiliendamque communi Epiſtolâ Paſtorali conſentire? Quid eſt quod Amplitudinem ſuam in hunc Labyrinthum abjecit? Vis dicam? Hoc eſt: quòd volueris, quod fieri nequit, in concluſionibus de differendâ abſolutione juxta conditionem 2. initi fœderis convenire cum Jeſuitis, à quibus valdè procul diſtas principiis. Tribus exemplis & propriâ tuâ confeſſione res evadet manifeſta.

1. Theſi

1. Theſi de pœnit. §. 31. ſententiam requirentem ad valorem Sacramenti pœnitentiæ amorem Dei benevolum ſaltem affectu ſuper omnia abſolutè in praxi ſequendam *intrepidè*, inquis, *praeunte Paſtorali Mechlinienſi affirmâre pergimus*, addiſque : *Hoc autem poſito mirum quantum ſufflaminetur nimia illa in abſolvendis quibuſlibet aliquorum facilitas : vel ipſis enim teſtibus non adeo obvia eſt amoroſa illa pœnitentium diſpoſitio*. Tu ergò quomodò nunc in eamdem facilitatem potes conſentire cum iis, qui tantum à te circa neceſſitatem amoroſæ illius diſpoſitionis diſſentiunt, ut ſufficiat eis dolor ex ſolo timore Gehennæ, ſicut ſufficit Illuſtriſſimo Mechlinienſi & Jeſuitis ejus quondam Profeſſoribus, ut iteratò ſine invidia gloriatur ejus Advocatus Oropega.

2. Præceptum de diligendo Deo ſaltem affectu ſuper omnia Jeſuitæ docent obligâre ſemel aut bis in vita, vel ſingulis quinquenniis, vel rariſſimè : ſimiliter Illuſtriſſimus Mechlinienſis in ſua ſynopſi de Sacramentis §. 52. ſub Patrum Societatis Diſciplina tuêtur hoc dogma : *differens eum* (actum pœnitentiæ) *ad duos vel tres annos ſecluſo periculo vitæ & præcepto Confeſſionis annuæ, non videtur damnandus nova culpa mortalis*. Docet inſuper quod aliundè certum eſt, amorem Dei eſſe contritionem virtualem. Ac proindè cenſet pariter præceptum de amando Deo non obligare ſub mortali nequidem ſingulis trienniis. (a) Ampli-

(a) *Vide 2. p. Aphor. diſp. 30. & ad 110. concl. 21. 22.*

plitudo veſtra ſingulis diebus aut moraliter ſemper. Quî ergò rurſus in eorum facilitatem in abſolvendis quibuſlibet potes convenire?

3. 1. parte Aphor. diſp. 40. doces: *non omnibus dari gratiam illam Chriſti ſpecialem, de qua ſupra, ad converſionem, vel ad perſeverandum, nimis clarum eſt; cùm tot ſint, qui numquam convertuntur, vel non perſeverant, quibus datur miſericorditer datur, quibus autem non datur juſto Dei judicio non datur, in pœnam præcedentis peccati ſaltem originalis. Ita ex Aug. S. Thomas.* Quomodò ergò rurſus in eamdem facilitatem in abſolvendis quibuſlibet conſentire potes cum iis, qui omnibus, impiis, & obduratis, dum urgentur converſionis præcepto, promittunt certò gratiam proximè ſufficientem, ex qua velut è manica veram converſionem, dum libet, excutiant. Sicut contrariam doctrinam, quæ tua eſt, nuper per Illuſtriſſimum Mechlinienſem damnandam obtulerint S. Congregationi in propoſitionibus per Belgium diſſeminatis.

En cauſam contradictionum tuarum in hac materia de differenda abſolutione. Hoc inſuper notandum, quòd conditionem 2. initi fœderis tu fidelius, quam tui Conpatres videaris obſervaſſe: nam illi vix aut ne vix quidem receſſêre à ſuâ doctrinâ, ut ad tuam appropinquarent: tu verò tuam prorſus deſerens, totus in eorum vidêris iviſſe ſententiam. Sed cur nulla hic mentio ne verbo quidem de contritione præcipuâ

hujus

hujus Sacramenti parte, ſive de amore Dei ſaltem aliquo ad hanc requiſito, præſertim cùm ſcires, Ampliſſime Domine, urgentiſſimas eſſe rationes de eo hic non tacendi, cur ergò tacêtur? cur? Quia juxta initi fœderis conditionem primam, de eo tacendum eſt, ſicut de Prædeſtinatione & gratiæ efficacia, & de obligatione præcepti amandi Deum, & ſimilibus.

QUaſque nonnulli nuper invehere cœperunt communi Eccleſiæ diſciplinâ neglectâ.

RESPONSIO.

CRambem recoctam porrigis, Ampliſſime Domine, jam pridem cum tuâ Epiſtolâ ad Illuſtriſſimum Cameracenſem in cineres effuſam. Sed ſic redis ad tuum ſophiſma, quod in extremis anguſtiis nuper excogitaſti tamquam ultimum tuis rebus deſperatis perfugium: praxis adminiſtrandi Sacramentum pœnitentiæ, quæ non eſt conformis praxi magis communi, ſive quam exercet hodie major pars Religioſorum præſertim mendicantium, nec non aliorum Sacerdotum, eſt mala praxis. Atqui talis eſt meorum adverſariorum, ergò &c. nolim ego pro hujus ſophiſmatis confutatione ea repetere, quæ tibi à pluribus, à quibus ad metam non loqui redactus ès, ſunt reſponſa.

Quæro dumtaxat ſequentia 1. An illi praxi magis communi conformes ſint ſeptemdecim illi

tui caſus differendæ abſolutionis, vel ſaltem plerique eorum, quos modò verbis tuis vel adoptâtis exhibui? Quid vidêtur? Si affirmas, doctorum indoctorumque ludibrio te expônis, & Epiſtolam Paſtoralem contemeras. Si negas, ergò in quo judicas alios, teipſum condemnas.

2. Praxis illa, quam ſub peccato ex Paſtorali Mechlinienſi requiris, ut qui Matrimonio juncti ſunt, ante Communionem aliquot dies abſtineant ab actu conjugali, eſtne conformis tuæ praxi communi? ſi auſis aſſerere, communi conjugum, qui nihil unquam à ſuis Confeſſariis de hoc audivêre, damnaberis teſtimonio.

3. Quid de illo ipſo caſu, quem ponit Epiſtola Paſtoralis ex Sancto Carolo: *Si tamen fuerint ſæpius reprehenſi, nec ſeſe correxerint, tamdiu abſolutio differatur, donec promiſſa appareant, veraque emendationis argumenta aliquo temporis ſpatio oſtenderint.* Hæc praxis eſtne conformis tuæ praxi communi? Quid de praxi tua non abſolvendi regulariter primâ vice conſuetudinarios? Quid de pluribus aliis caſibus, in quibus laxiſſimus quiſque Caſuiſta docet differendam eſſe abſolutionem? an hos caſus conformes exiſtimas tuæ praxi communi?

Aliter profectò ante poſteriores, nec ſatis prævisas tuas anguſtias cenſebas in notis ad 110. concl. 89. *Non ſolùm*, ais, *omnium harum propoſitionum cenſura demonſtrat, ſed & laxiſſimus quiſque Caſuiſtarum admittit non paucos dari caſus quibus neganda*

vel

vel differenda ſit abſolutio; quî ergò fieri poſſe dicas, ut tot ſint Confeſſarÿ promiſcuè quibuſlibet audiendis expoſiti, qui etiam in gloriæ ſuæ titulis ultrò ponunt, ſe numquam in vita quemquam ſine abſolutione dimiſiſſe? num fortè vel indè non manifeſtum evadit praxim in re morali adhuc aliquantò corruptiorem eſſe quam Theoriam? Quî ergò fieri poſſe dicas, ut per manifeſtum ſophiſma jam argumentêris à praxi ad Theoriam?

Aliter quàm modò tunc reſpondêbas ad tuum ſophiſma, nempè ut in notis ad 110. concl. 96. tractans illam damnatam: *præcepto Communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Corporis Domini manducationem. Hanc ſuo tempore*, ais, *communem fuiſſe contra Franciſcum Silvium & paucos alios dixit Vir Illuſtris* (fortè etiam Illuſtriſſimus) *nemine tunc, quod equidem ſciam, contradicente. Manifeſto argumento, poſſe iterum cujuſpiam temporis ſcriptores penè univerſos conſpirâre in doctrinam aliquam laxam, ſcandaloſam, & pernicioſam, dum interim populus fidelis ex ſenſu communi & pietatis meliora ſentit, uti hac in parte ſenſit ſemper.* Et Theſi Sabb. 14. Octobris 1690. *conſenſus interim ipſorum* (Scholaſticorum) *magni eſt ponderis ... conſenſus inquam paſſim omnium, etiam qui diverſo tempore ſcripſerunt: nam uno quopiam tempore hallucinari omnes poſſunt, uti & Patres ipſi aliquo tempore errâre potuêrunt, puta ubi millenariorum error paſſim irrepſit.* Cum his jam confer quod dixeras: *num fortè vel indè non manifeſtum evadit praxim in re morali adhuc aliquan-*

to

ro corruptiorem eſſe (agis autem de praxi dandi abſolutionem) *quam Theoriam. Si hæc etiam in libris prodeant, quid in praxi?* inquis Eximie Domine concl. 92. Seriò conſidera, an ſecundùm tua ipſius principia non rectiùs quàm Amplitudo ſua à praxi ad Theoriam, nos argumentemur à Theoria ad praxim hoc modo: *poſſunt cujuſpiam temporis ſcriptores, & Sacerdotes penè univerſi conſpirâre in doctrinam aliquam laxam, ſcandaloſam & pernicioſam*, ergò ſic etiam poſſunt conſpirâre in praxim aliquam laxam, ſcandaloſam & pernicioſam, & quidem facilius, quàm in doctrinam talem: nam *manifeſtum evadit praxim in re morali adhuc aliquanto corruptiorem eſſe, quàm Theoriam. Si hæc etiam in libris prodeant? quid in praxi?*

AD hæc remedia deſcendant ſemper inviti, atque ipſâ neceſſitate compulſi, poſtquam mitiora omnia tentaverint. Sed neque tum reos ad ſuos pedes proſtratos, quos ſanandos aliter haud credunt, duriter increpent, aut amarâ inſultatione dejiciant, ſed amicè compellatos ſuaviter inducant propoſito ob oculos pręſenti ſalutis æternæ diſcrimine, niſi pravæ conſuetudinis vincula omnia quamprimum diſrumpant: fruſtra veniam à Sacerdote ſperari, quamdiu animus pravis affectibus irretitus hæret: toties jam fidem ſibi factam, violatam fuiſſe toties, ut rurſus affirmanti credere non poſſit, niſi opera viderit: huc enitendum: quò cum evaſerit, ambabus ulnis amplexandum, & reconciliationis fructu diutius haud fruſtrandum. Hæc atque alia, quæ Chriſtiana prudentia dictare ſolet, remedij duritiem leniant.

Hunc in finem meminiſſe juverit quæ recordanda monet Genevenſis Præſul: (a) *mementote*, inquiens, *à miſeris pœni-*

(a) *Inſtruct. Cap. 1.*

pœnitentibus in ipſo Confeſſionis exordio Patrum nomine compellari vos, & quod reipſa animum erga ipſos habere debeatis verè paternum, recipiendo ipſos ſummâ cum caritate, ſufferendo patienter eorum ruſticitatem, ignorantiam, imbecillitatem, tarditatem, aliaſq; imperfectiones ... tametſi Filius prodigus nudus planè, ſordidus & fœtidus jam inde ab hara porcorum rediret, benignus tamen Pater eum amplectitur, amanter exoſculatur, & ſuper collum eius ruens lacrymatur, eò quod eſſet ipſius Pater, & cor paternum teneriori affectu erga filios ſoleat commoveri.

Illud ipſum Patris nomen amabile licet atque blandum animare Confeſſarios debet ad conſtantiam & virile robur, & maſculos affectus; muliebrem verò indulgentiam, aut metum excutere pectoribus: ne reprehendenda & caſtiganda in filiis,ut ſtultæ matres ſolent, negligant: ne reſpectu aliquo humano monere non auſint, quæ monenda ſunt; atque ita dum in flagitio connivent, flagitium ipſi admittāt.

RESPONSIO.

FRuſtra dantur bona verba, & oſtentantur virilia præcepta in generali contra muliebrem indulgentiam, poſtquam hæc præceptis non revocandis ſtabilita eſt in particulari per caſus ſingulares.

CAPUT XII.

De Prudentia in Examine.

IN examinandis pœnitentibus ne nimij ſint atque curioſi, ne ſcrutatores rerum quas ſcire non oportet, interdum etiam eſt nefas. In complicum nomina non inquirant.

RES-

RESPONSIO.

ALiter, Eximie Domine, Theſi de pœnit. §. 15. ipſius Ritualis Cameracenſis verbis ſic doces : *nec tertij peccata inquirat, quando id non eſt neceſſarium*, & in nupero ſuo decreto Illuſtriſſimus Cameracenſis in cauſa P. Oratorum : *Exiſtimamus omnes in hoc conſentire... reos aliquando teneri ad accuſandos ſuos complices ob utilitatem quæ indè manat in publicum.* Sic nempè jam pridem ex S. Raymundo docuit S. Antoninus 3. p. tit. 14. Cap. 19. §. 11. *Confeſſor non debet interrogâre ſpecificationem perſonæ cum qua pœnitens peccavit, niſi in quantum eſſet circumſtantia neceſſaria dici : ſed ſi interroget non ex curioſitate, ſed ex charitate, ut provideat, puta quia eſt Prælatus, non credo quòd malè faciat.* Similiter S. Bernardinus ex Rich de media Villa tres caſus aſſignat quibus rectè pœnitens manifeſtat complicem. 1. *caſus eſt*, inquit ſerm. 21. in quadrag. tom. 3. *quando aliter non potes manifeſtâre tuum peccatum. Item eſt caſus, in quo licet nominâre ſocium cum quo peccaſti, quando Confeſſor eſt aptus corrigere ipſum, vel propter illud amplius non cadat in illud peccatum V. G. peccaſti cum fratre & confitêris cum tuo ſuperiore, & indè venit ſcandalum omnibus de illa domo vel ordine &c. Tertius caſus eſt quod licet accusâre ſocium criminis cum quo peccaſti, quandocumque vides te aptum recadere, nec potes aliter evadere illam ruinam,*

tunc potes nominare illum causâ conſulendi ut evadas à periculo illo; quia ſciendo perſonam dabit tibi conſilium ſalubrius, &c.

Hinc ex communi Scholaſticorum & Caſuiſtarum ſententia docet Suarez de Sacramento Pœnit. diſput. 34. ſectione 1. *dicendum eſt ex legitima cauſa licitum eſſe perſonam complicis & peccatum ejus in Confeſſione revelare. Eſt communis ſententia... difficultas verò eſt in explicanda hac cauſa legitima, circa quam adverto ſumi poſſe vel ex parte pœnitentis, vel ex parte ipſius complicis, vel ex parte alterius tertij ſeu boni communis.*

Meritò igitur ſupra Illuſtriſſimus Cameracenſis: *Exiſtimamus omnes in hoc conſentire... reos aliquando tenêri ad accuſandos ſuos complices ob utilitatem quæ indè manat in publicum.* Dum verò reum ad hoc tenêri Confeſſarius prudenter judicat, quis dubitâre poteſt Confeſſarij eſſe pœnitentem ſuæ obligationis admonêre & de complice interrogâre? Quid ergò generaliter vetat Epiſtola Paſtoralis: *In complicum nomina non inquirant?* cur ſine terminis ambiguis non præſcribit, in complices non inquirant? niſi fortè rurſus ut ſub iiſdem terminis deliteſcant contrariæ ſententiæ, nempè tua, quâ doces inquirendum eſſe in peccata tertij, quando id eſt neceſſârium, & Illuſtriſſimi Mechlinienſis quâ §. 60. ſuæ Synopſeos docet cum Magiſtris ſuis revelationem complicis excuſâre ab integritate Confeſſionis.

Præterea eâdem Theſi §. 9. *Num verò mulier*

confeſſa

confeſſa, ais, *ſe cum homine Eccleſiaſtico peccaſſe; interroganda ſit an cum Confeſſario, an is occaſione Confeſſionis ſollicitaverit? Non dubitamus, ſi modò vel probabilis conjectura ſit ita eſſe. Nolenti autem denuntiare neganda eſt abſolutio.* Ibidem §. 8. de reſervatione peccati in materia carnis, externi, & mortalis etiam in tactibus & oſculis, ais: *Cæterum magnoperè intereſt publici, ut iſtud [prudenter tamen ac diſcretè, & veluti quæ forte accidere poſſet] aliquandò populo annuntietur.* Cur publici interſit, antea notum feceras in notis ad 110. concl. 92: *Libellus ille pudendus de quo iterum fecimus mentionem, hunc errorem renovat, augetq; cùm ait, non poſſe reſervari crimen, quod non eſt publicum: idque (nota nequitiam) ut eludat reſervationem ſanctiſſimam, quam plerique Belgij Antiſtites fecerunt de peccato complicis in materia luxuriæ. Si hæc etiam in libris prodeant, quid in praxi? Reſervationem caſuum quidam pœnam & quaſi cenſuram vocant. ideòq; à neſcientibus non incurri exiſtimant. Aliundè caſus reſervati tam parum publicantur, ut eos penè omnis populus ignoret, quid ſequatur, maximè pro prima vice, quâ quis talia delinquit, per ſe notum eſt. Praxim hanc uti improbamus, ita in lucem publicam protrahendam putavimus, quo de ea ſuperiores ſi velint diſpiciant.* Rectiſſimè. Sed cur hoc, quod, ut ais, *magnoperè publici intereſt* ſcire, tam altum ſilet Epiſtola tua Paſtoralis?

IPſos pœnitentes de nomine noſſe ne laborent: iſtiuſmodi curioſitas pœnitentes à tribunalibus arcet, aliaque innumera ſecum trahit incommoda. Neſcio quid ſiniſtri de Confeſſariis tam curioſis ſuſpicantur. Hæc cautela maximè adhibenda eſt, cum de rebus obſcænis inſtituitur quæſtio:

RESPONSIO.

IDeò debueras non in lucem protrahere dignum tenebris & flammis ęternis carmen, quod non referrem, niſi per tuam Theologiam emendatam in omnium manibus verſaretur, de quo Gentilis ipſe erubuit:

Turpe quidem dictu: fiet amica manus.

QUæ ſupra Concionatores monuimus, hic quoque attendenda ſunt. Contingit enim perſæpè, ut ab ipſis Confeſſariis omnes harum ſordium angulos veſtigantibus inſtructiores redeant ad nequitiam. Magna habenda hac in parte ratio perſonarum, ætatis atque ſexûs. Utendum verbis modeſtis ac verecundiam præ ſe ferentibus, & ſoli ſerviendum neceſſitati. Limites hîc tranſire non ipſis ſolum ſæpè pœnitentibus, ſed & Confeſſariis periculoſum eſt, qui caſtitatis theſaurum & ipſi portant in vaſis fictilibus.

RESPONSIO.

LImites hic tranſire nemo non vetat. Verùm quis tranſit? Quomodò & quando trans limitem itur? Quomodò Amplitudo veſtra rurſus in figendo hoc limite convenire poteſt cum iis, qui ad peccandum formaliter requirunt notitiam & advertentiam malitiæ? Cum iis quo-

rum

rum magnus Catechiſmus Haſartianus ſic evangelizat : *Non poſſumus Deum offendere graviter, quandò ſincerè & prorſus putamus non magnum malum eſſe quod facimus.* Nunquid ergò valdè cavendum eſt Confeſſariis, ne per eorum examen pœnitens noſcat gravem malitiam V. G. mollitiei, & aliorum nefandorum criminum, quæ jam multis fortè annis ſine ſcrupulo commiſit? Præſertim cum nuper Illuſtriſſimus Mechlinienſis damnandam obtulerit S. Congregationi doctrinam, quæ cenſet formaliter peccare eum, cui nulla mali advertentia aut ſcrupulus occurrit.

Verùm cum hujus doctrinæ Illuſtriſſimi, & Catechiſmi P. Haſart defenſores ſolidam, ut putant, frequentemque vagis accuſationibus ſumant materiam ex Confeſſariorum interrogationibus circa peccatum luxuriæ, libet hic vobis de eodem argumento pluſcula exhibêre ex Eccleſiarum Ritualibus, & Sanctorum Confeſſionalibus, non meis, ſed ſolis eorum verbis: atque inprimis in Capitulis collectis nuper cum Pœnitentiali Theodori editis ex Burchardo & Pœnitentiali Andegavenſi præſcribitur: *pœnitentem alloqui affectuosè debet Sacerdos his verbis: frater noli erubeſcere peccata tua confitêri: nam & ego peccator ſum, & fortaßis pejora, quam tu feceris, habeo facta... videns autem eum Sacerdos verecundantem, rurſus proſequatur: fortaſsè charißime non omnia quæ geßiſti ad memoriam modò veniunt, ego te interrogabo, tu cave, ne Diabolo ſuadente aliquid*

celare præſumas, & tunc eum per ordinem interroget, feciſti homicidium &c. feciſti fornicationem, ſicut Sodomitæ fecerunt, cum pecoribus, aut cum matre, vel ſorore, quindecim annos vel duodecim pœnitêre debes &c. Plures ibidem ſimiles interrogationes faciendæ & variæ pœnitentiæ variis mollitiei & luxuriæ ſpeciebus præſcribuntur.

Ibidem ex Codice M. S. Bibliothecæ Regiæ Navarræ, ſub titulo Formularij Pœnitentialis; *Interroget Sacerdos ordinatè & diſtinctè, ſi ſe tetigerit turpiter ita, quòd polluerit ſe, & corruperit.* Deindè præſcribuntur interrogationes circa ſingula præcepta Decalogi, atque circa 6. *non machaberis. Quæratur cum quot mulieribus peccaverit, & cum quibus hoc factum: ſi erant maritatæ, vel virgines, vel viduæ vel conſanguineæ vel affines, vel quoties eas cognovit, ſi meretrices, ſi fuit indè ſcandalum, ſi fuit occultum vel manifeſtum peccatum. Item ſi cognoverit aliquam inordinatè, præcipuè vxorem, quia cum illa poſſet mortaliter peccare, ſi ſemper peccat & inordinatè agit cum ea, vel ſi aliquo modo eam cognovit, vel quemadmodum vir cum fæmina debet eſſe; ſi aliter, peccat graviſſimè & non debet ei mulier obedire. Item ſi turpiter membrum ſuum tetigerit ita, quod ſe corruperit vel polluerit, id eſt ſemen effuderit &c.*

Celeberrimum apud Græcos fuit Pœnitentiale Joannis Jejunatoris Patriarchæ Conſtantinopolitani, qui floruit ſæculo 6. exſtat apud Morinum in appendice de pœnitentia. Præſcribit autem; *ſimiliter & de maſculorum concubitu ipſum interrogare*

terrogare oportet, cujus criminis tres ſunt differentiæ. Aliud eſt enim ab alio pati, quod actione levius eſt, & aliud in alterum agere, quod τo pati gravius eſt; aliud pati ab altero, & in alterum agere, quod duabus prædictis differentiis gravius eſt. Nam pati ſolum, vel agere ſolum, tantum non eſt, quantum pati & agere. Inquirere etiam oportet in quam harum differentiarum incidit, & quoties & per quantum tempus & ſi antequam uxorem duxit, vel poſt eam ductam: ſi ante ætatis triginta annos, aut poſtea hæc fecerit. Interrogandus præterea an bruta inierit, cujus una eſt differentia: ſimiliter & de mollitie, cujus duæ ſunt differentiæ, una quæ propria manu ſuſcitatur, altera quæ alienâ &c. Erga mulieres autem diligenti & accuratâ inquiſitione uti debes. Deindè præſcribit determinatas interrogationes faciendas de procuratione ſterilitatis vel abortus & pollutionibus etiam in iis quæ Viduæ ſunt vel Monachæ aut in virginitate degunt. Idèm Patriarcha in ſuo ſermone Pœnitentiali: *Mulieres autem de pluribus inquirendæ ſunt*, ait, *quam de iis, quæ pro viris ſcripta ſunt, procedunt enim uſque ad veneficia & magias, quæ dicere horrendum nedum exequi, atque etiam uſque ad varias cædes in conceptionibus & in ipſo perfecto partu ..... quod ſi ejuſmodi homines in mollitiem in Quadrageſima inciderint, neque ſic communicent, licet eorum aliqui ſint Monachi etiam ſancti. A ſanctis equidem Patribus, qui canones condiderunt, quadraginta tantum dies abſtinentiæ à Communione iis, qui in hunc morbum inciderunt,*

 definiti

definiti ſunt. Si communibus anni temporibus ita definitum eſt, quanto magis deplorandus ille animi morbus moleſtè omnibus dominans, à quo avelli difficillimum eſt, totâ ſanctâ Quadrageſimâ cavendus eſt?

Ejuſdem circiter ætatis Pœnitentiale Joannis Monachi ex Bibliotheca Vaticana prçſcribit ſequentia: *nec hoc ſolum* (deſcriptionem peccatorum) *præſtabimus, ſed etiam quâ ratione Confeſſorum unuſquiſque iſta inquirere & ſcrutari debet. Primum à nobis poſita eſt mollities horrenda, multis dominans, atque, ut ita dicam, omnibus dominans, duorum modorum cauſâ, cum duas differentias contineat, eo quod à prima ætate multis hominibus accidat, & multorum per eam virginitas corrumpatur, atque etiam iis dominetur qui cæteris excellere judicantur.* Et *quod miſerabilius eſt, parum abeſt, quin multis ſit peccatum incognitum, eo quod non ſolum iis, qui in ſæculo ſunt, ſed etiam qui extra, ſæpè uſque ad ſenectutem, aut etiam ipſam mortem accidat........ eſt præterea peccatum aliud quod mollitie quidem gravius eſt, ſed maſculorum concubitu levius, cum ſcilicet viri duo intra femora, quod etiam ab ipſis fœminis ſine viro perpetrari conſuevit.... poſtea inquiret ab eis peccata contra naturam: num in virum, in puerum, in jumentum, in volatile, in puellam ante tempus ſedecim annorum definitum inciderint? poſtea interrogabit eos de cæde voluntaria & involuntaria, ſimul & de graviſſima & duplici mollitie. Et cum aliquid ex his parvum vel magnum fecerint, an rarò vel ſæpè. Si longo tempore perſeveraſſe eos deprehenderit, interrogabit an in mediam partem,*

an

an in totum &c. Interrogatio enim eadem & idem judicium fieri debent de mulieribus & de viris, Secularibus & Monachis. mulieres tamen videntur quodammodo de pluribus quam viri interrogandæ & inquirendæ: incidunt enim ſæpius quam viri in magias & venefica. Contaminant quoque conſuetis ſuis menſtruis viros ignorantes. Cædes quoque mille modis perpetrare audent in conceptionibus &c. Mollitie etiam ſeſe contaminant mulieres non ſecus ac viri; illæ etiam, quæ in virginitate degunt, quæque nullum omninò virum qualemcumque expertæ ſunt.

Hæc omnia cum ſumma prudentia & diſcretione in praxim deducere docet S. Bonaventura in ſuo inter opuſcula Confeſſionali: *Poſt hæc Sacerdos,* inquit, *incipiat audire Confeßionem ipſius interrogando ſi peccator neſciat confiteri, & adjuvando per inquiſitionem, diſcretè tamen, ita quod ſollicitus ſit uſitata peccata ſingulatim requirere, inuſitata verò per circumſtantias generales & valdè remotas cautè inveſtigare, ne inexpertis detur materia vel occaſio, quod ante neſciverant perpetrandi, ſicut aliquando contingit ex quorumdam inſipientium* Con*feſſorum interrogationibus. Taliter autem indiſcretè interrogantes, non ſunt vitiorum evulſores, & deſtructores, ſed potius ædificatores & plantatores. Ideò, ut dictum eſt, non debent de peccatis inuſitatis expreßè interrogare, ſed nec ad circumſtantias ſpeciales deſcendere, ſed tantummodo in univerſalibus ſtare, & ſapienter valdè à longè, & à remotis generalibus circumſtantiis incipere quærere; ita ut ſi fecit, confitens*

ſtatim

ſtatim cognoſcat : ſi non fecit, neſciat quid Confeſſor dicat : V. G. ſi de incontinentia quærat, & velit ſcire an in turpi vitio peccavit, dicere poteſt : habuiſti unquam pollutionem dormiendo? Si dicat quod ſic, quærat ſi vigilando, quia omnis pollutionis voluntaria procuratio, excepto fœdere matrimoniali, Peccatum mortale eſt. Si adhuc dicat quod ſic, poſſet quærere, quomodò? caveat tamen ne unquam quærat utrum illo vel illo modo ſpeciali, ſed quærendo generaliter modum, exſpectet ab illo determinationem... ſi autem confitens etiam peccata conſueta neſciat confiteri, ut ferè communiter omnes rurenſes, poteſt & debet Confeſſor *interrogare ſecundum illud* Ezechielis. Fili hominis fode parietem. *Auguſtinus de vera & falſa pœnitentia circa finem : diligens igitur inquiſitor, & ſubtilis inveſtigator ſapienter & quaſi aſtutè interroget à peccatore, quod forſitan ignorat vel verecundè velit occultare. Cognito itaque crimine varietates ejus non dubitet inveſtigare & locum & tempus &c.*

Quærat etiam de luxuria, de tribus gradibus ejus, Primus, ſi peccavit ſolutus cum ſoluta vel è contrario. Secundus, ſi conjugatus cum conjugata vel è contrario. Tertius, ſi vitio ſodomitico, ubi cautiſſimè procedat, ſicut ſuperius eſt expreſſum. Quærat etiam ſi cum conſanguinea vel affini. Et infra. *Circa ſextum præceptum quærat ſecundum ſeptem differentias luxuriæ, fornicationem, meretricium, adulterium, ſtuprum, ſacrilegium, inceſtum & peccatum ſodomiticum, poteſt etiam addi octava differentia, ſcilicet libidinoſus coitus conjugalis, qui aliquando provenit*

ex

ex fragilitate, aliquando ex impetuoſitate metas honeſtatis & rationis tranſcendens. Et ideò ſemper eſt mortale peccatum, quod fit quinque modis. Hos deindè enumerat & poſtremò ſubjungit: *Circa decimum præceptum quærat ſi moroſas cogitationes luxuriæ volvebat in corde, & ſine conſenſu operis, vel aliquandò cum conſenſu, ſed ſine conatu exteriori directè vel indirectè, ſignis, nutibus, geſtibus per ſe vel per alios, perſonas aliquas ſolicitando: vel etiam ſi concupiſci voluit cum conatu exteriori, vel ſine ut prius. Hic ſimiliter exprime diverſos conatus, quibus tam mulieres quam viri provocant perſonas, à quibus deſiderant concupiſci.*

Conformes planè interrogationes ex profeſſo & prolixè in ſuo Confeſſionali præſcribit Sanctus Antoninus, nempè circa Præceptum ſextum Decalogi in prima parte ſui interrogatorij, & in 2. parte circa peccatum capitale luxuriæ, & in 3. parte ejuſdem interrogatorij circa peccata conjugatorum, deindè puerorum & puellarum ubi addit: *Inquirendum eſt de mendaciis & perjuriis: præcipue de vitiis carnalibus cum maſculis & fæminis, vel per ſeipſos commiſſis vel ad invicem, quæ hodiè abundant in ipſis propter malas ſocietates & occultant.*

Quiſquis ergo moralis laxioris adverſarios de indiſcretis interrogationibus ſtudet accuſare, vel deſignet & probet eos tranſire limites, Sanctorum Bonaventuræ & Antonini, vel ſileat, vel accuſationem recantet.

CAPUT XIII.

De Satisfactione.

IN mulctis autem pœnitentibus imponendis ſervent traditam à Sacroſancto Concilio Tridentino (a) & à pleriſque Ritualibus, & à Mechlinienſi Synodo II. diſertè expreſſam Regulam, *ut quantum Spiritus & prudentia ſuggeſſerit pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, ſalutares & convenientes ſatisfactiones injungant, quæ non tantum ſint ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem.*

RESPONSIO.

(b) I*Dem dicunt nunc omnes*, ait Stejartius, *ſed quod fidenter affirmare liceat, non omnes obſervant. Pro aliquot enim peccatis mortalibus nonniſi totidem fortè Roſarij decades, ſi non eſt leviſſima pœnitentia, pro peccatis gravibus, quid verò tale erit? atque hæc dum ab aliquibus practicantur, dum ipſis identidem à nobis objectantur, nihil habemus reſponſi præter fabulas, quas viciſſim objiciunt de fæno, induſio humido, & ſi quid aliud fingunt ipſi, vel ab aliis fictum accipiunt.*

AUdiendus hicquoque S. Carolus: (c) *Confeſſarius*, inquiens, *circumſpectus eſſe debet, ne adeo leves & faciles ſint ſatisfactiones, ut poteſtas clavium in contemptum veniat*

(a) *Seſſ. 14. Cap. 8.*
(b) *Theſi de pœnit. §. 21.* (c) *Inſtruct. c. 20.*

veniat.. . . neque nimis graves aut longa jubeantur, ut vel recuſent eas exequi, vel etiam ſi acceptas habent, poſtea tamen plenè non perficiant.... hac in parte integro judicio & perſonarum delectu utentur; non enim omnibus omnia conveniunt. Quarè non mandent pauperibus ut liberaliter tribuant eleëmoſynas, neque iis, qui diuturnis ſudoribus victum ſibi ſuiſq; quæritant, jejunia prolixa.

RESPONSIO.

(a) A*Lij quidam aliter*, ait rurſus Stejartius, *quibuſcumque aiunt (facto certè, ſi non verbo) tria Pater & Ave. Ita recitatione tam levi, ſeu panace quâdam morbos animi omnes ſanâre ſe credunt.*

AUdiendus quoque S. Franciſcus Saleſius : (b) *Confeſſarius*, inquit ille, *pœnitentiam imponere debet verbis ſuavbus & conſolatoriis, maximè ubi viderit pœnitentem benè compunctum, & ſemper eum interrogare debet, an non ſit eam libenter executurus. Nam ſi videat facturum ægrè, ſatius foret ei imponere aliam faciliorem, cum ordinariè multò melius ſit pœnitentes amicè & benignè (abſque eo tamen quod peccatis eorum aduletur) quam aſperè habere. Nihilominus pœnitenti Confeſſarius indicare non omittet ipſum pro gravitate peccatorum ſuorum longè graviorem mereri; ut id, quod ſibi injungitur, majori cum humilitate & devotione exequatur.*

Salubria pariter ſunt, quæ S. Carolus pœnitentibus præſcribenda monet : (c) nempè *ut omnes nitantur bis ſaltem in die preces facere ad Dominum, manè videlicet cum ſurgunt, ac veſperi dum cubitum concedunt. Deindè,* Confeſſarius *exhortabitur eos, ut ſingulis diebus Sacrum audiant, & diebus Dominicis divina Officia frequentent; particulatim verò modum eis præſcribet orationes mentales faciendi*

(a) *Theſi de pœnit. §. 24.* *Ibidem Cap. 8.*
(c) *Ibid. Cap. 22.*

faciendi ſive viri , ſive mulieres ſint , modò tamen capaces ſint Rudioribus autem oſtendet , quomodò Roſarium ſive Corona B. Virginis , ſeptem Pſalmi Pœnitentiales , aut ſimiles aliæ Orationes legi debeant. Parochus *omnes ſuæ fidei concreditos eò inducet , ut examen conſcientiæ quotidiè faciant. Admoneat quoque eos de frequenti Confeſſione & Communione , & paulatim eos ſecundum S. Auguſtini conſilium in Sanctam eam conſuetudinem adducat , ut diebus Dominicis communicent .... ſpeciali curâ eos admonebit Confeſſarius , ut dies Feſtos in honorem ſervitiumq; divinum impendant : Quod ut commodius fiat , auctor eis erit , ut alicui Societati ſeſe aſſocient , quæ ex inſtituto propriò dies Feſtos in orationibus piisq; operibus expendit .... iis , qui litteras norint ſuadebit ut libros aliquos pios & ſanctè ſcriptos emant , ſi modò facultas ſuppetat , quos & ipſi legant , ac faciant legi à tota familia circa Veſperam , præcipuè feſtis diebus : tales ſunt Vitæ SS. Patrum ; de imitatione Chriſti , opera F. Ludovici de Grenada &c.*

Conſpirat in eandem ſententiam Saleſius : (a) *bonum* inquiens , *erit hac aut ſimilia injungere pro Pœnitentia , veluti ut legat hunc vel iſtum librum , qui judicatur opportunus adjuvandum Pœnitentem : Confiteatur ſingulis menſibus per annum : curet ſe inſcribi alicui Confraternitati , ſimileſq; actiones , quæ non ſolum ad præteritorum peccatorum punitionem deſerviunt , ſed & ad futura præcavenda. Et quantum ad conſilia , quæ generatim Confeſſarium pœnitenti dare oportet , ecce tibi utiliſſima omni hominum generi , confiteri & communicare frequentiſſimè , eligere bonum Confeſſarium ordinarium , frequentare Conciones , legere libros pios , E. G. Opera Granadæ , fugere prava conſortia , ſequi bona , Deum frequenter orare , veſpertinum conſcientiæ examen inſtituere, de Morte, Iudicio, Cælo, Inferno cogitare, frequenter oſculari ſanctas Imagines, puta Crucifixum , aliaſq;.*

(a) *Inſtruct. Cap. 8.*

CA-

CAPUT XIV.

De Confeſſionis frequentia.

VIdetis ut gemini hi poſtremorum temporum ſoles, conſpirantibus in eumdem ſcopum conſiliis ad fovendam & amplificandam in Fidelium cordibus pietatem, ad extirpanda vitia, virtuteſque inſerendas, frequentem Confeſſionis & Euchariſtiæ uſum commendent? Frequens autem Confeſſio non ovibus tantùm, verum etiam Paſtoribus neceſſaria eſt, ne fiat ſicut populus ſic & Sacerdos. *Boni Sacerdotes*, monebat Cardinalis Bona, (a) *vel quotidiè, vel alternis diebus, vel bis ſaltem in hebdomada animo verè contrito ad Confeſſionem ſolent accedere*, S. Carolus ſtatuebat, (b) *ut quo puriores ad divinam rem faciendam accedant Sacerdotes, ſingulis hebdomadis peccata confiteantur, niſi eos ob mortalis peccati culpam frequentius facere oporteat.*

S. Franciſcus Saleſius animam piam alloquens: (c) *Ne permittas*, inquit, *umquam ô Philothea, ut cor tuum diu maneat infectum peccato, cum remedium tam præſens & facile ad manum habeas..... Confitère humiliter & devotè ſingulis octiduis, & ſi fieri poteſt, toties quoties communicabis, etſi nullius peccati mortalis conſcientia te remordeat. Etenim per Confeſſionem, quam inſtitues non ſolum venialium, quæ confiteberis abſolutionem, verum etiam ingens robur ad ea in poſterum cavenda, ingens ad diſcernenda lumen, & abundantem gratiam ad reparanda damna omnia, quæ tibi attulerant, conſequêris.*

A page igitur heſternum novorum hominum commentum, quaſi ſanctiſſimi viri nudam peccatorum expoſitionem Sacerdoti præſcripſerint faciendam conſilii aut petendi

(a) *Lib. de Sac. c. 4. §. 2.* (b) *Concil. Mediol. 4.*
(c) *Introd. ad vitam devot. p. 2. c. 19.*

di remedii cauſâ, parum ſolliciti, utrum ſemper ſubſequeretur abſolutio nec ne.

RESPONSIO.

COnfeſſionem frequentem, quæ cum debitâ fit contritione ac diſpoſitione, quis non probat? Quis aliud docet, quam docebat olim Stejartius in notis ad 110. concl. 87.: *Patet non rarò hominibus ad Sacramentum Pœnitentiæ venientibus* (*Pœnitentes enim omnes vocare non poſſumus, cùm alius eà dumtaxat veniat dicis causâ, alius ut conſcientiæ turbas ſedet, alius motivis aliis non melioribus*: (a) *ex levitate*, ais alibi, *aridâ conſuetudine, aut deſiderio hominibus placendi, captandi pietatis famam*) *differendam eſſe abſolutionem, donec ſe eâ dignos reddant.*

NEque neceſſariæ Contritionis obtinendæ difficultatem nobis illi tantoperè exaggerent. Saleſium audiamus, cujus unius auctoritas nobis plurimorum inſtar eſt. *Quæris*, inquit ille, (b) *quomodò contritionis tuæ actum exiguo tempore elicere poſſis? Dico tibi vix opus eſſe tempore, ut ritè eliciatur: cum tantum opus ſit ſe coram Deo proſternere in Spiritu humilitatis & doloris, quòd ipſum offenderis.* Nam ut ait S. Auguſtinus (c) *ſive ad malum, ſive ad bonum parvo momento animus commutatur.*

RESPONSIO.

AUdiviſtis Ampliſſimum, audite Eximium abſolutè in praxi requirentem ad Sacramentum

(a) *Theſi de pœnit. §. 44.* (b) *Collat. 18.*
(c) *Lib. 2. contra Creſconium cap. 9.*

tum pœnitentiæ (a) *amorem Dei benevolum ſaltem affectu ſuper omnia. Hoc autem poſito*, ait, *mirum quantum ſufflaminetur nimia illa in abſolvendis quibuſlibet aliquorum facilitas: vel ipſis enim teſtibus non adeò obvia eſt amoroſa illa pœnitentium diſpoſitio.* Et in notis ad 110. ad propoſitionem de diligendo Deo ſemel in vita: *Habuerunt*, inquis, *alij aliud hujus damnati dogmatis fundamentum; videlicet quod actus dilectionis divinæ tam arduus & difficilis videatur ut magnum ſit, ſi quis vel ſemel in vita ad hanc arcem enititur, parum nempè memores doctrinæ ſuæ, quâ alibi eumdem illum actum tam facilem reddunt, ut nemini non in promptu ſit: ſic ut propterea nihil Sacerdotem [aliquâ urgente causâ] à ſacro Altari remorari debeat peccatum mortale, ſi deſit copia Confeſſarij, quippè cum ei copia iſtius actus ſemper ſuppetat, quem etiam* (en doctrinam Epiſtolæ tuæ Paſtoralis) *in momento elicere poſſit. Inſigne documentum & ſpecimen iſtius Theologiæ modò aliud & aliud pro occaſione tradentis, ut cupiditatibus hominum ubique inſerviat.* (b) *Cernimus verſatilem hanc Theologiam* (& hæc jam tua eſt, Ampliſſime Domine) *in hoc uno fixam firmamq;, ut cupiditatibus & licentiæ faveat.*

Cæterum quam malè pro hoc errore citetur Saleſius patet, tum quod loco citato agat de ſolâ contritione pro peccato veniali, tum quod eòdem loco ſubjungat: *Si verò frequentiores defectus committimus, & hi continuentur, veriſimile eſt nos*

 primi

(a) *Ibidem. § 31.* (b) *Ibidem conc. 52.*

primi noſtri defectus nequaquam verum dolorem concepiſſe... eſt autem penè regula generalis, quod dum tam frequenter eumdem defectum committimus, ſignum ſit deeſſe verum emendationis deſiderium. Et adhuc opportunum putat Epiſtola Paſtoralis fruſtum hujus loci Saleſij pro ſuo errore adducere? Conformiter Saleſius 1. p. Introd. Cap. 6. *Accidit ſæpè, ut ordinariæ Confeſſiones illorum, qui vitam vivunt communem & vulgarem, magnis ſcateant defectibus. Nam aut præparatio nulla præmittitur, aut valdè exigua,* ET CONTRITIO NECESSARIA DEEST. Rationem præmiſerat Cap. præcedenti: *Curatio*, inquit Aphoriſmus, *omninò lenta, ſecuriſſima eſt. Morbi cordis ſicut & corporis celerrimè accidunt, ſed* TARDISSIME CURANTUR.

Neque meliori fortunâ citatur Aug. & hoc, quamquam id facilè ignoſci poteſt hujus Epiſtolæ Conpatribus Molinianis, quis ferat in Doctore Lovanienſi? agit ibidem expreſsè Auguſtinus de converſione per miraculum factâ: *Hæc converſio voluntatis*, inquit, *repentè mutavit non ſolum in telonio peccatorem, verum etiam in Cruce latronem, niſi putas quod Chriſtus in Paradiſo ſecum eſſe voluiſſet cruentum ſceleratumque hominem, ſi non cordis illa converſio continuò faceret innocentem, ut eo die, ex eo loco, ex eo ligno tranſiret ad immortale fidei præmium, in quo exceperat mortis pro iniquitate ſupplicium. Sive enim ad malum ſive ad bonum parvo momento animus commutatur, ſed non ideò parvum eſt quod meretur. In ipſis corporalibus & tempo-*

temporalibus pœnis & beneficiis diu nutritam, quamlibet ætatem unus ictus interimit, & triginta & octo annorum ægritudinem, mox ut Dominus dignatus eſt jubêre, ſanavit. Et hunc locum Epiſtola tua Paſtoralis pro regula converſionis vulgaris & quotidianæ aſſignare potuit? quin adhuc magis lepidum eſt emplaſtrum, quod Amplitudo ſua huic Epiſtolæ Paſtoralis ulceri conata fuit apponere, dum eam in Sacello Collegij alumnis explicabat. Dicebat locum Auguſtini citatum in Epiſtola intelligi de converſione juſtorum à peccatis venialibus, ſcilicet Matthæi in telonio, & Latronis in Cruce. *Riſum teneatis amici.* Sic ſuos alumnos docet Ampliſſimus Stejartius. Sic Auguſtinum & Epiſtolam Paſtoralem ſolidè interpretatur.

CAPUT XV.

De Sigillo.

RES ipſa poſtulat & populi ſiniſtra quædam muſſitantis ſuſpicio, ut non nulla adjiciamus de ſigillo, ſive ſecreto Confeſſionis arctiſſimè ſervando.

RESPONSIO.

QUî fieri potuit, Ampliſſime Domine, ut hanc calumniam vel tuo ipſius judicio atrocem & iniquiſſimam iterum Paſtorali Epiſtolâ renovares, confirmareſque? Facere id potuiſti,

 qui

qui profeſſus es acquieſcere reſponſo Eximij Domini Huygens ad accuſationem tuam 35. inter 42. ubi ad objectum articulum de ſigillo reſpondit: *Hanc aſſertionem nemo Lovanij tenet, quin imò contrarium nuper publicè tradidit Eximius D. Hennebel in ſyſthemate pœnitentiæ.* Ad hoc reſponſum Amplitudo veſtra reponit in ſua ſynopſi cap. 28.: *Acceptatur quod jam rejicit, nec ejus ſinceritas in dubium vocatur.* Cur ergò non manet acceptatum, quod ſemel acceptaſti? Cur ejus ſinceritatem in dubium vocas? Præſertim cum acceptationem tuam epiſt. 4. denuò his verbis confirmaveris: *Nunc quoque eatenus acquieſcimus, ut quod dicunt ſe non tenêre ex articulis accuſatis, planè credamus.* Et infra ſingulatim tractans reſponſum ad accuſationem tuam 35. de ſigillo: *Hic ego,* ais, *Hugenio acquiêvi in reſponſione aſſerenti, neminem, adeoque nec ſe, tenêre Lovanij hanc aſſertionem.* Si hoc planè credis, ſi acquieſcis: cur iiſdem hanc nigerrimam accuſationem poſt acceptatam iteratò eorum reſponſionem iterum per Epiſtolam quidem Paſtoralem imponis? An hoc manifeſtè non eſt criminari innocentes contra conſcientiam & bonam fidem, cùm fatearis te planè aliud credere? contra charitatem & juſtitiam, cùm eorum famam tam iniquè proſcindis? contra religionem, cùm Confratres tuos Sacerdotes tam irreverenter contemeras? Et poſt hæc omnia pro prætextu renovandæ hujus calumniæ dicere non vereris: *res ipſa poſtulat & populi ſiniſtra quædam muſſitantis ſuſpicio &c.* fallis, non

eſt

eſt populus, qui muſſitat: Amplitudo veſtra muſſitavit cum Harnæo ſuo Conpatre quadraginta duarum accuſationum, inter quas hanc nigerrimam cum reliquis clanculo & per cuniculos protruſiſtis. Verum cum ſpes fefellit, cum ſparſus per cuniculos pulvis in caput inſidiantium exarſit, rurſus decreviſtis ambo criminationem reſtaurare: Amplitudo veſtra quidem per Epiſtolam Paſtoralem: tuus autem Conpater Harnæus per libellum famoſum Flandricum, cui titulus: *den religieuſen ſtaet verdedight*, quem 18. Maij 1692. approbavit. Hic libellus, præter multa alia graviſſimè injurioſa paci & Clero ſæculari, tradens fol. 35. fusè definitionem Janſeniſtæ, ſtatuit inter proprietates ejus eſſentiales hanc: *Sy en ſyn niet al te ſcrupuleus int geheym vande bicht te bevvaeren: non ſunt admodum ſcrupuloſi in ſervando Confeſſionis ſigillo.* Quod linguâ vulgari ſignificat: non ſatis ſervant ſigillum Confeſſionis, imò ſine ſcrupulo illud violant. An hæc dumtaxat ſunt, Amp. D. populi ſiniſtra quædam muſſitantis ſuſpicio? ſed ecce aliquid aliud, quam populi ſiniſtra quædam muſſitantis ſuſpicio, ecce dogmata & authores, in quæ per me licet, Epiſtola Paſtoralis ſuum pro vindicando ſigillo zelum exerceat juſtius, quam in innocentes. En tria ſpecimina.

1. *Non cadunt* (ſub ſigillo) *circumſtantiæ, quæ revelatæ nullum odium pariunt, licet in ordine ad peccatum narratæ ſint, ut nomen, patria, dignitas,*

ſtatus: imò nec odioſæ abſque ordine ad peccatum expoſitæ. Similiter virtutes aut revelationes materia ſigilli non ſunt. Ita in terminis Illuſtriſſimus Mech. in ſua ſynopſi de Sacramentis §. 91.

Ex hoc dogmate ſequitur 1. quod ſi Princeps aliquis, vel alius quiſcumque optet in Regione quadam deliteſcere, ſolique Confeſſario etiam in ordine ad peccatum revelet ſuum nomen, patriam, dignitatem, ſtatum, liceat Confeſſario gloriari ſine læſione ſigilli: Hodiè mihi talis Princeps ſic nominatus, talis patriæ, dignitatis, & ſtatus confeſſus eſt. 2. Quod ſi pœnitens abſque ordine ad peccatum V. G. ſolius ſolatij vel conſilij petendi causâ in confeſſione revelaverit ſuas miſerias, ut extremam & verecundam paupertatem ſub publica opinione divitiarum, ſuſpendium patris, veneficia matris, ſpuriam ſuam nativitatem, lepram alioſque morbos & impotentiam ad matrimonium, & ſimilia, cenſet Illuſtriſſimus ſine læſione ſigilli hujuſmodi poſſe publicari. 3. Idem cenſet de extraordinariis pœnitentiis, virtutibus, & revelationibus, quas Sancti, ut maneant occultiſſima, ſolis Confeſſariis conſilij causâ revelant. Quantus Deus bone! foret ſigillifragus, ſi quis prætenſus Rigoriſta hæc diceret.

Dogma II. *Illicitus eſt* [uſus ſcientiæ Sacramentalis] *ſi odioſus ſit, ut negatio ſuffragij, amotio indigni ab officio; licitus verò omnis alius pœnitenti non ingratus.* Illuſtriſſimus ibidem §. 92.

Poſte-

Poſterior dogmatis pars, *licitus verò &c.* graviter ſigillo adverſatur, nam inde ſequitur. Primò quod ſi pœnitens palam glorietur de ſuis peccatis, poſſit ſine læſione ſigilli eadem & alia Confeſſarius, ſi ſciat id illi gratum fore, publicare, quantacumque inde ſcandala oriantur. Secundò quod Confeſſarius ſine læſione ſigilli notam ex ſolâ Confeſſione proditionem Civitatis patriæ aut Principis, poſſit revelare Principi inimico, ut remuneret proditorem, dum ſcit, ſicut de eo non ſolet dubitari, hoc pœnitenti gratum futurum. Tertiò quod ſine læſione ſigilli poſſit improbus Confeſſarius notam adoleſcentis ex Confeſſione libidinem erga filiam ei revelare, ut eam pelliceat ad amorem adoleſcentis, dum ſcit hoc illi gratum futurum, & ſexcenta ſimilia, quæ ſi alius diceret, vix poſſent excogitari ſupplicia ſatis atrocia ad hujuſmodi ſigillifragi crimen dignè expiandum.

Dogma tertium : *Contra ſigillum peccat* (Confeſſarius) *ſi in Confeßione ſequenti agat de peccatis in præcedenti auditis.* Ita Illuſtriſſimus. Additque pro fundamento : *non enim eſt ratio, cur magis in Confeßione ſecunda, in qua de prioribus judicare non debet, quam extra illam alias auditorum meminiſſe liceat.*

Sic ſolent utrimque à veritate deviare in errores oppoſitos, qui veritatem non amplectuntur. Nimirum ex dogmate illo ſequitur 1. Sigillifragum eſſe Confeſſarium, qui in Confeſſione petit

 à pœ-

à pœnitente, an fecerit reſtitutionem in præcedenti Confeſſione injunctam. 2. Quod peccet contra ſigillum ſi petat an remedia cuidam peccato antea præſcripta habuerint felicem effectum, ſicut ſolent omnes boni medici inquirere. 3. Hoc dogma planè conforme eſt alteri doctrinæ Illuſtriſſimi: *Conſuetudo peccandi nequidem roganti Confeſſario fatenda eſt, niſi ab imperitis & paſſione excæcatis.* In ſynopſi §. 68. quod damnatum eſt art. 58. inter 65.

Atque hæc eſt illuſtris Illa Synopſis Theologica de Sacramentis, quam ſicut pridem ſub diſciplina Societatis Illuſtriſſimus defendit applaudentibus Tubis & Tympanis ad ſingulas ſolutionis minas, tamquam ad totidem incruentas victorias: ita eamdem hodiè pergit ſtrenuè tueri per ſuos Advocatos Cor: de la Montagne & Didacum de Oropega. Hæc profectò non ſunt dumtaxat populi ſiniſtra quædam muſſitantis ſuſpicio. Aſſignet Amplitudo veſtra vel alius quiſcumque unum in ſuis accuſatis dogma vel factum, quod pro centeſima parte tam injurioſum eſt ſigillo, quam duo illa priora dogmata Illuſtriſſimi, & fatebor adverſus eos rectè exclamari ab Epiſtola veſtra Paſtorali: *quæ ſat juſta decerni queat adverſus ſigilli-fragos pœna, haud videmus.*

IAm olim Concilium Lateranenſe de eo quædam unicè neceſſaria decrevit, quæ Sanctus dein Carolus ſuis Statutis, (a) & 2. Mechlinienſis Synodus (b) inſeruit; videlicet

(a) *Inſtruct. p. 2. c. 20.* (b) *Tit. 5. c. 6.*

cet, ut *meminerit unuſquiſque Confeſſionis ſigillum ſtrictiſſimè ſervandum eſſe, etiam ſub pœna depoſitionis à Sacerdotali Officio, & detruſionis in arctum Monaſterium ad agendam ibidem perpetuam Pœnitentiam, &c* Ita ut nullo caſu violare illud liceat reſpectu nullo. Et profectò ſi ullibi Theologos ſeveros eſſe convenit, hìc oportet; & fuere hactenus ſeveri. Quæ ſat juſta decerni queat adverſus Sigilli-fragos pœna, haud videmus. Adeò multa conſequuntur ex hoc uno crimine mala. Si qui in hoc genere Eccleſiæ diſciplinam, quæ ſemper hactenus facta eſt rigidior relaxare machinentur, quod vix induci poſſumus ut ſuſpicemur, habeant illos ut capitales Sacramenti hujus hoſtes & exterminatores. Quis enim poſthac auſit aperire animi ulcera ſoli Deo perſpecta, ſi de Sacerdotis ſilentio & taciturnitate haud ſecurus eſt? Si accerſendum inde in caput ſuum grande malum non ſine ratione formidat?

RESPONSIO.

QUò ſigilli-fragorum crimen majus facis [quod certè maximum eſſe nemo negat] eò gravior eſt calumnia, quam innocentibus contra conſcientiam & bonam fidem, contra charitatem & juſtitiam, & contra religionem impingis.

SCientiæ etiam ex Confeſſione acquiſitæ nullus ſit extra Confeſſionem uſus, niſi conſulto pœnitente ac largiente poteſtatem, quæ non niſi juſtis & neceſſariis de cauſis petenda eſt. Miramur hic nonnullos doctrinæ S. Caroli perpetuos admiratores præconeſque aſſiduos, in ejus de hoc negotio ſententiam non ire pedibus, ſed effugia circumſpicere, & pluribus in caſſum argutari, & nolle tam arctis vinculis conſtringi. Nos autem ut alibi, ſic hic veſtigia S. Caroli à vobis calcari volumus: ne temerè veniam à pœnitente extorqueant ad gravandum invidiâ & vero crimine tertium.

Ne

Ne facilè hic juſtas ſibi cauſas fingant, cum Viro cætera probo impingendum crimen eſt, quod pœnitens probare non poſſit, undè uterque neceſſariò maculandus ſit infamiâ; quod non poteſt non Sacramentum Pœnitentię reddere odioſum, ipſumque Confeſſarium objicere populi ſuffragiis, ut reum vel imprudentiæ ſummæ, vel malignitatis.

RESPONSIO.

QUis eſt qui hîc à doctrina S. Caroli recedit, qui *effugia circumſpicit*, *qui pluribus in caſſum argutatur*, *qui non vult tam arctis vinculis conſtringi*? Deſigna unum ſi potes. Quis ille? An fortè Illuſtriſsimus Mechlinienſis in dogmatibus jam exhibitis? Quis ergò? an fortè Amplitudo veſtra quæ pro regulâ ſtatuit generali in Theſi Sabb. 28. Januarij 1690. *Non eſt quoque inconſultum, dum alter complicum confitetur, & alter magis pudibundus prævidetur confeſſurus (V. G. ſponſus confitetur ante ſponſam) à priore veniam petere, ut cum altero liberius agere liceat de communi peccato.* Similia quoque doces Theſi majori de pœnit. §. 39.

DEnique ab omnibus illis religioſiſſimè abſtineant, quæ Sacramentum iſtud tam neceſſarium nata ſunt populo inviſum facere: ſatis multa occurrunt in eo dura, ſatis multa ingenitæ homini vel verecundiæ, vel ſuperbiæ contraria, ut Sacerdotes ipſi non debeant injuſtum onus adjicere.

RESPONSIO.

QUis eſt qui injuſtum onus adjicit? qui Sacramentum populo inviſum facit? *nihil habemus*

habemus reſponſi, ais Eximie Domine, (a) *præter fabulas, quas viciſſim objiciunt de fœno, induſio humido, & ſi quid aliud fingunt ipſi vel ab aliis fictum accipiunt.* An ideò ſuſcipienda erunt remedia illa, quæ ad tollendum ſatis multa quæ hic occurrunt ingenitæ homini vel verecundiæ vel ſuperbiæ contraria, ſuggerit Illuſtriſsimus in ſua ſynopſi ? nimirum injuſtum onus adjicit, qui ſequentia abjicit ejus levamina.

1. *Satisfacit qui legenda peccata ſua exhibet, ſi ſubnectat, de his me accuſo.* Illuſtriſsimus in ſua Synopſi Theologica §. 58.

2. Levamen: *Differens eum* (actum pœnitentiæ) *ad duos vel tres annos ſecluſo periculo vitæ & præcepto Confeſſionis annuæ, non videtur damnandus novæ culpæ mortalis.* Illuſtriſsimus ibidem §. 52.

3. *In Sacramentis mortuorum ſufficit attritio etiam ob pœnas peccati à Deo infligendas.* Illuſtriſſimus ibidem §. 9.

4. *Oppoſitum* (hujus ſcilicet, effectus peccati eſt confitendus) *non improbabiliter dicitur, quando actus peccati ante effectum ſecutum retractatus eſt.* Illuſtriſſimus ibidem §. 56.

5. *Si præter reſervata pœnitens habeat ſola venialia, & contritionem perfectam ſe elicuiſſe certus ſit, ſine Confeſſione præmiſſa communicare poterit.* Illuſtriſſimus ibidem §. 60. generaliter de eo, qui habet peccata reſervata, quæ ſolent eſſe graviſſima, & habet copiam Confeſſarij, ſed non habentis juriſ-

(a) *Theſi de pœnit. §. 21.*

juriſdictionem in reſervata. Deinde immèdiatè ſubjungit.

6. *Si de Contritione tamen perfecta dubitet, cum Attritione confiteatur venialia, ut indirectè à mortalibus abſolvatur.* Nempè ſilendo mortalia reſervata ac proinde graviſſima. Illuſtriſſimus ibidem.

7. *Præceptum Tridentini, ut Sacerdos qui in neceßitate abſque prævia Confeßione celebravit confiteatur quamprimum V. G. ante triduum elapſum, non extenditur ad communicantes, aut ex malitiâ celebrantes.* Illuſtriſſimus ibidem §. 35.

8. *Iuxta capacitatem perſonarum & lapſum temporis, niſi Confeſſarius adjuturus ſit, Examen præmitti debet, quale in negotio gravi à Viro prudenti adhiberi ſolet, non extraordinarium, quale ſit in re gravi divitias aut honorem concernente.* Illuſtriſſimus ibidem §. 60.

9. *Caret propoſito ſufficienti, qui deſerere non vult occaſionem in qua ferè ſemper peccat in eo periculo interpretativè peccatum diligens, niſi ..... valde grave malum incurrendum excuſet.* Illuſtriſſimus ibidem §. 55.

10. *Conſuetudo planè inadvertenter jurandi & pejerandi ſicut facit ebrietas, à juramento & perjurio aufert rationem humanæ locutionis, adeoque peccati etiam materialis.* Illuſtriſſimus ibidem §. 68.

11. *Conſuetudo peccandi nequidem roganti Confeſſario fatenda eſt, niſi ab imperitis & paßione excæcatis.* Illuſtriſsimus ibidem.

Plura ſimilia in ſua Synopſi Theologica Illuſtriſsi-

triſſimus Mechlinienſis ſuggerit pœnitentium levamina, ſed per hæc pauca ſpecimina licebit cætera æſtimare. Vereor equidem ut hæc Deo tam grata non ſint, quam ſunt ingenitæ homini verecundiæ & ſuperbiæ. Neque interim rationes aliæ à nobis cogitari poſſunt cur Epiſtola Paſtoralis tam durè nonnullos ſuggillet, ut Severiſtas, ut deſperationis authores, ut injuſtum onus fatiſcentibus adjicientes, niſi quia hujuſmodi levamina non ſatis amant.

QUod ſi qui facere certum habent, magnopere pertimeſcendum eſt, ne multi tædio victi in mediis Oceani vitæ hujus fluctibus interire malint, quam tanto cum labore ad tabulam adnatare, à qua fortè dejiciendi ſint illius ipſius injuriâ, qui ſtatutus ad hoc eſt divinitùs, ut manum naufragantibus commodet, in portumque deducat.

RESPONSIO.

VT manifeſtè convincaris Sacramentum pœnitentiæ populo magis onerosſum eſſe ſub Confeſſariis laxioribus, quam ſub prætenſis rigidioribus, examina pœnitentes, V. G. Hinc Hugenij & indè Confeſſariorum laxiorum, quos dicis in titulis ſuis ponere, quod numquam aliquem ſine abſolutione dimiſerint. Examina utri libentius, & ſæpius, & magis avidè & majori cum ſolatio, minori cum horrore confiteantur, an hi, an illi. Examina, ſi libet, eumdem aliquem pœnitentem jam verè converſum & pro-

bum

bum, qui prius fuit ſub laxiori, poſtea ſub prætenſo rigidiori, vel è contra. Vehementer fallor, ſi non paſſim omnes, qui hujuſmodi examen rectè inſtituerint, certam ferant ſententiam contra laxiores. Et ratio manifeſta eſt 1. Quia illi tui rigidiores potius quam laxiores ſtudent juxta ſua principia pœnitentes adducere ad amorem pœnitentem, *& ubi amatur non laboratur, vel ſi laboratur, ipſe labor amatur.* 2. Illi potius quam hi ſtudent juxta ſua principia pœnitentes adducere ad converſionem ſolidam, ſtabilemque; quâ graviora poſtea peccata non facilè repetant, ac proindè graviores labores & pudores evadant. Secus planè contingit ſub laxioribus, ſive quia crucianti ſemper timore contenti ſunt: ſive quia ſub ipſis ſæpè abſolutiones & graves relapſus totam vitam alternant, & poſt multos labores nunquam eſt finis laboris pudoriſve, nequidem in æternum.

CAPUT XVI.

De Pœnitentiis manifeſtis.

UNum penè exciderat, quod ad mulctas reis imponendas ſpectat, & ad ſigillum Confeſſionis arctius ſervandum facit, undè neque hic non erit dictum in loco, videlicet, quod Rituale Romanum & Paſtorale Mechlinienſe monet: *Pro peccatis occultis quantumvis gravibus manifeſtam Pœnitentiam non imponant;* ut enim quemadmodum egregiè (a) Synodus Tridentina obſervat, *non ſatis conſultè humanâ*

(a) *Seſſ. 14. c. 5.*

humanâ aliquâ lege præciperetur, ut delicta præſertim ſecreta publicâ eſſent Confeſſione aperienda; ita prorſus foret inconſultum, ne quid dicamus gravius, adigere pœnitentes, ut ſecreta delicta, quantumlibet enormia, publicâ ſatisfactione expient. Quid enim eſt pœnitentis crimina revelare, ut loquimur, indirectè ſi hoc non eſt?

RESPONSIO.

QUid eſt non modò privatos, ſed etiam veterem Eccleſiam univerſam, violationis ſigilli arguere, ſi hoc non eſt? & quidem contra tuam ipſius conſcientiam, qui Theſi ſabb. 11. Martij 1690. edicis: *Pœnitentia publica olim veriſimiliter etiam pro peccatis occultis peragebatur.* Quid? quod idem fortius aſſerit Catechiſmus Romanus de Sacramento pœnitentiæ §. 93. *Quare ſapientiſſimè*, ait, *illud ab Eccleſia obſervatum eſt, ut cum ab aliquo publicè flagitium commiſſum eſſet, publica etiam pœnitentia ei indiceretur, ut cæteri timore perterriti deinceps peccata diligentius vitarent, quod etiam in occultis criminibus, quæ graviora eſſent, interdum fieri ſolitum erat.* Pro quo citat Auguſtinum, Ambroſium, Cyprianum & Concilium Agatenſe, & nihilominus Amplitudini veſtræ adeo cerebrum agitat violatio ſigilli, quocumque modo imponenda adverſariis, ut cæco impetu, quaſi non aſpicientes quem feriatis, ſed obvios quoſque proterentes, etiam ipſos parentes veſtros & Eccleſiam Matrem non vereamini percutere Epiſtolâ Paſtorali? Quis ab hac non malit cum illis

percuti

percuti, quam cum aliis palpari? Nemo quidem praxim illam veterem nunc exigit, ſed quis ferat tam inſolentem, inclementemque hujus Epiſtolæ adverſus eam Cenſuram?

CAPUT XVII.

Decretum vetus Colonienſe circa ſuperiora.

IUvat hîc inſerere, quæ ab annis jam quadringentis Sifridus Colonienſis Antiſtes ſapienter decrevit adverſus exceſſus ejuſmodi, celebratâ in hunc finem Synodo: ubi hæc habet inter alia, quæ longum foret deſcribere: (a) *Diligenter in Confeſſione caveant Sacerdotes, ut ſi confitentes peccata aliquorum revelaverint, vel nomina eorum indicaverint, cum quibus peccaverunt, ea ſecretè teneant, ſicut peccatum confitentis.*

Item ſub pœna excommunicationis, omnibus Sacerdotibus inhibemus, ne à confitentibus nomina eorum cum quibus peccaverint inquirant, vel circumſtantias, per quas poſſint eorum nomina ſciri. Quod ſi fecerint, ab officio Confeſſionis audiendæ, & Sacrorum Myſteriorum, ipſo facto ſe noverint eſſe ſuſpenſos: & in principio Confeſſionis Sacerdotes diſtrictè inhibeant confitentibus, ne peccata aliorum confiteantur vel revelent & nomina eorum cum quibus peccaverint, exprimant, ut ſupra dictum eſt.

Item nullus Sacerdos in ira, odio vel etiam metu corporis confeſſionem confitentis audeat revelare verbo, vel ſigno, generaliter vel ſpecialiter, dicendo: ego ſcio te talem, qualis es: & ſi revelaverit aliquo modo, de hoc convictus debet abſque omni miſericordia degradari. Si tamen indigeat conſilio, illud (ut dictum eſt) ſine expreſſione perſonæ cautè requirat.

RES-

(a) *Ex editione Labbei tom. 11. p. 1. col. 1117.*

RESPONSIO.

EUmdem locum citaveras in cauſa 42. accuſationum cap. 29. Synopſis, quod junctum pluribus aliis argumento eſt Synopſim tuam & hanc Epiſtolam Paſtoralem ex eadem pharetra prodiiſſe, ut ſupra dictum eſt.

ATque hiſce ſapientiſſimè conſtitutis, prudentiſſimus Præſul gliſcens tum malum feliciter ſopivit atque oppreſſit. Quis ſperaſſet malum ſimile noſtro hoc tempore in Belgio Catholico revicturum? Sanè niſi bonorum hac de re querelæ ceſſaverint (ceſſabunt autem ubi innovandi & perturbandi omnia in quibuſdam prurigo ceſſaverit) ad ſimiles reis pœnas infligendas adigar etiam invitus. Opto interim ut conſiliis hiſce noſtris potius, quam cenſuris, atque pœnis deterriti, in viam Patrum redeant, & peſtiferis novitatibus minimèque tolerandis valedicant, quotquot hac in parte defeciſſe non vana ſuſpicio eſt.

RESPONSIO.

ITerum tecum repeto: (a) *Exclamat Pſalmographus* quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam doloſam? *Sed nuſquam difficilius eſt adverſus eam ſe munire, quam ubi vagis ſolum criminationibus hæret.* Deſigna ergò criminoſum & crimen, vel recanta. Quid magis iniquum, quam pro ficto crimine, quod deſignare nec probare potes, crudeliter percutere innocentes, etiam dum ſimulas connivere? querelæ, quas pro-

L clamatis

(a) *Ad 110. concl. 60.*

Verum ut clarius Epiſtolæ Paſtoralis in hac materia ſenſus eluceſcat, quædam juvat præmittere Authorum ejus dogmata, Illuſtriſsimi Mechlinienſis, Jeſuitarum, & Ampliſsimi Domini Stejartij.

Docet Illuſtriſsimus in ſua Synopſi Theologica §. 34. *Impletur Præceptum Chriſti ſicut Baptiſmo, ita & Communione ſacrilegâ, cum Sacramentum ſit, & quidem veroſimiliter ad effectum ſuum ſublato obice poſtea reviviſcens: atque hoc praxi ſuâ probat eccleſia.* Et §. 11. *Ex ratione D. Auguſtini pro Baptiſmo allatâ colligitur, quod ad omnem effectum reviviſcant etiam Sacramenta cætera informia.* Et §. 50. *Reviviſcentia hæc juxta rationem allatam ſit ad omnem gratiam deperditam etiam Sacramentalem.*

P. Pollenter Jeſuita tractans hanc propoſitionem 56. inter 65. damnatas refert hanc: frequens Confeſſio & Communio, cultus B. Virginis, in iis etiam qui Gentiliter vivunt, eſt nota Prædeſtinationis. *Hanc verò,* addit, *copulatim ſi acceperis, ut accepiſſe ſe ille proteſtatus eſt, ſi abſtergas invidiam vocis Gentiliter, quod feciſſe ſe exiſtimavit: haud equidem ſcio an dici poſſit continere propoſitionem damnatam.*

Ad has propoſitiones notat Eximius Stejartius ad 55. quidem de Communione ſacrilega: *hanc ſuo tempore,* inquit, *communem fuiſſe contra Silvium & paucos alios, dixit Vir Illuſtris, nemine tunc, quod equidem ſciam contradicente. Manifeſto argumento poſſe iterum cujuſpiam temporis ſcriptores penè*

univerſos, conſpirare in doctrinam aliquam laxam, ſcandaloſam & pernicioſam, dum interim populus fidelis ex ſenſu communi & pietatis meliora ſenſit, uti in hac parte ſenſit ſemper &c.

Deinde in damnatam 56. frequens Confeſſio & Communio etiam in his qui Gentiliter vivunt, eſt nota Prædeſtinationis. *credentne, putamus,* ait, *poſteri noſtri, potuiſſe aliquando Theologos Belgij penè univerſi inter ſe committi ob hanc egregiam propoſitionem? potuerunt tamen.* O curas hominum! ô quantum eſt in rebus inane!

2. *Gentiliter vivere in ea dici videtur, qui non ſecus vitam inſtituit ſuam, quam Ethnicus, qui leges Dei vel Eccleſiæ non novit, quiq; adeo cupiditatibus ſuis plenas laxat habenas. In tali verò frequens Confeßio & Communio tantum abeſt, ut ſit nota Prædeſtinationis, ut è contra ſit nota una ex veriſimillimis reprobationis, nec non prodromus quidam damnationis æternæ, qui enim non penè valetudinis deſperatæ ſit is, quem tam frequentata, tamq; efficacia ſanitatis remedia nihil juvant?*

3. *Fingit propoſitio [ſed fingit dico] eum qui Gentiliter vivere non ceſſat, facere nihilominus Confeßiones & Communiones frequentes bonas & ſalutares. Vel certè fundat ſe in alio quorumdam dogmate* (in quo ſupra expreſſis terminis ſe fundat Illuſtriſſimus) *quod nobis equidem placêre non poteſt, Confeſſiones aut ſaltem Communiones ſacrilegas, ſi vel una digna & bona fortè fortunâ ſupervenerit, reviviſcere omnes, ſubitòque ex deteſtando peccatore (qui etiam*

 indies

indies ab ineunte ætate judicium ſibi manducarit & biberit) facere ejuſmodi ſanctum, cui etiam pauci è Martyribus vel Apoſtolis conferri queant.

Sed coloratius depingamus hunc ſanctum, jam obiter delineatum. A puero inter omnia vitia educatus ſæpiſſimè & fortè in dies communicavit, Hypocrita egregius. Presbyter factus pro ſacrilegij cumulo veſci totâ vitâ noluit niſi pane & vino conſecratis. Ita Dei patientiâ venit ad decrepitam ætatem, in qua morti proximus etiam uno, ut aiunt, pede inferis obnoxius percellitur tot millium ſacrilegiorum, aliorumq́; ſuorum criminum horrore cum meritiſſimo metu æternùm ardendi (qui juxta Illuſtriſſimi Mechlinienſis, & Jeſuitarum ſententiam ſufficit ad juſtificationem cum Sacramento) *vellet igitur non peccaſſe, petit Confeſſarium, quo veniente aliud facere nequit, niſi percutit ſemel pectus, abſolvitur, moritur: tot ei ſacrilegia duplicantur ad coronam: tantum non exaltatur ſuper omnes Choros Angelorum. Ad me tamen quod attinet non facilè tali dixero:* ORA PRO NOBIS.

Optimè, Eximie Domine, ſic loqui decet Doctorem Lovanienſem. Atque hic tria quæſo Lector conſideret. 1. Quod in eadem ſua Theologia Emendata teſtatur Ampliſſimus Dominus. (a) *Quid verò etiamnum eos facere exiſtimes, qui harum propoſitionum cenſuram non recipiunt, aut ſaltem ſuſque deque habent? à ſententiis ſuis modò damnatis generatim, tantum recedere ſtatuêrunt,*

 quan-

(a) *Concl. 32. 33. 66.*

quantum rigor cenſuræ invitos cogit. Multum eſt ſi non in terminis tradant. 2. Conſideret, quod juxta conditionem ſecundam in compoſitione Epiſtolæ Paſtoralis Stejartius multò magis ad Jeſuitas acceſſerit, quam hi ad illum. 3. Quod juxta doctrinam Illuſtriſſimi de reviviſcentia Communionum ſacrilegarum ad omnem gratiam Sacramentalem, ſi ex centum abſolutionibus vel Communionibus *vel una digna & bona fortè fortunâ ſupervenerit, reviviſcere omnes* Communiones ante factas ſacrilegè. Hæc tria quicumque vel leviſſimè conſideraverit, nequaquam mirabitur ſummam, quam præſcribit Epiſtola Paſtoralis, in danda Abſolutione & Communione facilitatem. Jam pergamus.

LOngè aliter cenſuêre Tridentini Patres, ut teſtatur Catechiſmus Parochorum (a) Concilii Tridentini auctoritate editus, quorum omnium unanimis vox fuit *Quotidiè peccas, quotidiè ſume.*

RESPONSIO.

V*Erumtamen illa eſt S. Auguſtini*, ait ibidem Catechiſmus Romanus, *norma ſanctiſſima: ſic vive ut quotidie poſſis ſumere.* Quis hanc normam non veneratur? quos ergò impugnas? ſed ut convincaris, quam iniquè nonnullos ut ineptos animarum Medicos, frequentiſque Communionis hoſtes accuſes, Amplitudo véſtra cum venia, quoties communicat? Eximius D. Huygens, Opſtra-

(a) *Part. 2. cap. 4. n. 46.*

Opſtratius ſimileſque regulariter quotidie Miſſam celebrant. Amplitudo veſtra quoties ? ignoſce ſi ſum importunus, dic porrò, quoties ? nempè regulariter numquam diebus Ferialibus aut minoribus Feſtis, de Dominicis & majoribus Solemnitatibus alius viderit. Et adhuc Hugenium ſimileſque de minus frequenti Communione auſis poſtulare ?

Sed fortè frequentem Communionem ſibi arrogant, negant ſubditis ? quantum falleris, ſi hoc credis ? compertum eſt Eximie Domine, & probari poteſt, ſi requiris, multò frequentiores Communiones fieri à Theologis in Collegio Pontificio, quam in veſtro, etſi veſtrum circiter duplo plures Theologos habeat. Quid ? quod nuper pro evitandis vini jam carioris, & cereorum expenſis publico mandato tuis quam plurimis Sacerdotibus bene rigidè prohibueris, ne præter unicum quotidie, auſit aliquis in Sacello Collegij celebrare, ut ſic potius hinc inde Monaſteria depaſcerent. An hoc eſt ſubditos ad frequentiorem Communionem invitare ?

Vin plura ? Elige ex tua vel Mechlinienſi Diœceſi pagum quemcumque, quem etiam à multis annis, ſi vis, adminiſtrat Paſtor maximè inveteratus Rigoriſta: provocatur Amplitudo veſtra & quiſcumque alius, ut ex ſua vel Mechlinienſi Diœceſi aſſignet vel unam Parochiam ruralem æqualem circiter adminiſtratam à Paſtore commodioris ſeu tuæ praxeos, in qua populus

tam frequenter communicet, quam in altera. Aſſigna vel unam ſi potes: ſi non potes, deſine tandem innocentes Sacerdotes & aërem verberare vagis accuſationibus.

LOngè aliter Sanctus Carolus (a) præſcribit ſtatuens, *ut ad ſaluberrimum S. Euchariſtiæ frequenter ſumendæ uſum Parochi & Concionatores quàm ſæpiſſimè populum cohortentur, naſcentis Eccleſiæ inſtitutis, atque exemplis, & graviſſimorum Patrum vocibus, & uberrima hoc ipſo de genere Catechiſmi Romani Doctrina & ſententia, denique Tridentinæ Synodi, quæ optaret quidem Fideles in ſingulis Miſſis non ſolum ſpirituali affectu, ſed ſacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicare. Quod ſi quis Concionator etiam Regularis aliquid contrà directè indirectève dixerit, aut concionatus ſit, Epiſcopus ei tanquam ſcandalum diſſeminanti interdicat prædicatione verbi Dei.* Cur hîc non inclamant antiqua inſtituta rituſque priſcos, qui nihil nobis quotidiè occinunt, quam veteres pœnitentiæ Canones. Amor ſincerus antiquitatis tam hoc exigebat, quam iſtud Sed pergamus audire S. Carolum.

In eodem (b) Concilio decernit, quod ipſum & inſtructionibus ſuis inſeruit, ut Parochus eam conſuetudinem concionando inducere ſtudeat, ut populus, ſi minùs Dominico quoque die, ſaltem ſemel in ſingulis menſibus confiteatur, & Sacram Communionem ſumat; at in Quadrageſima & in adventu, ut ſingulis diebus Dominicis hoc faciat; id quod antiquæ Fidelium pietatis eſt.

Rurſus idem nobis auctor eſt, ut populus rariùs confiteri & communicare ſolitus, non ſolum ad ſacram Synaxim conveniat diebus ſolemnioribus, Pentecoſtes, Aſſumptionis beatæ Virginis, omnium Sanctorum & Natalis Domini; ſed dein diebus Indulgentiarum, poſtea *ſingulis menſibus*, demum *ad Communionem octiduanam* adducatur.

S. Fran-

(a) *Concil. Mediol. 3. Tit. 7.*

(b) *Concil. Mediol. 4. part. 2. tit. 4. & Inſt. part. 1. c. 16.*

S. Franciſcus Saleſius tot locis (a) frequens hoc pietatis Chriſtianæ exercitium inculcat, ut mens ejus à nemine ne quidem pervicaci vocari poſſit in dubium. Inter alia *aſſeveranter* pronuntiat *ab ijs qui volunt piè vivere in Chriſto, Sacram Communionem nullatenus poſſe differri ultra menſem.*

RESPONSIO.

QUis rurſus hoc negat? quis non ambabus ulnis ampleꝺitur doctrinam Saleſij, quam ibidem parte 2. Introductionis cap. 20. ſubjungit: *Ad ſingulis octonis diebus communicandum requiritur, ut quis ſit ab omni peccato mortali & erga peccatum veniale affectu deſiderioq́ liber, ardenſq́ communicandi deſiderium habeat.* Verum utra potius frequentiuſque hanc Saleſij doctrinam violat, an pars accuſata, an accuſans? Crediſne, Eximie Domine, illa filiarum devotarum agmina, quas hodie nonnulli regulariter ſingulis octo diebus ſemel aut bis aut ter aut ſæpius mittunt ad Communionem, libera regulariter eſſe etiam *ab affectu deſiderioq́ peccati venialis*? habere diſpoſitionem ad tam frequentem Communionem quam requirit Saleſius?

AB his Sanctiſſimorum Virorum monitis non eſt quod cogant deflectere ſubtiles quorumdam hominum argutię, aut Rhetorici colores, quibus contraria omnia ſuadent, & ab hac ſaluberrima medicina revocant infirmos. Inculcant frequenter petitum illud ab humana amicitia exemplum, in qua quotidianus uſus & familiaritas ſolet contemptum parere. Verentur ſcilicet ne fiat nobis vilior Deus, & jactu-

ram

(a) *Introd. Part. 2, Cap. 20.*

tam aliquam dignitatis patiatur immenſa Majeſtas, ſi toties ad menſam ejus accubuerimus convivæ. Mallent ut ſingulis tantum annis ſemel aut iterum, quod Barbaros aliquando Reges factitaſſe tuendæ Majeſtatis ſuæ gratiâ produnt Hiſtoriæ, multitudini ſe ſpectandum Deus ac fruendum daret. At arguti iſti non vident, vel videre ſe diſſimulant, in humana familiaritate contemptum naſci ex eo potiſſimum capite, quod quotidianus uſus & converſatio, ſemper penè vitium aliquod aut defectum detegat, ut ſolent homines amicos inter agere liberiùs, frænum perturbationibus & morbis permittere, quos alibi ſtudiosè celant. Date nobis amicum vitiis non obnoxium, ſed omni inſtructum virtutum genere; ejus familiaritas nequaquam contemptum pariet, ſed amorem indies magis ac magis accendet, virtuſque alia ex alia detecta incitabit ad reverentiam. Divinus igitur ille Cibus vitii omnis expers, omni virtute atque efficaciâ præditus, quamquam frequenter ſumptus gignere haud poteſt faſtidium, haud poteſt vileſcere, modò ſtomachus acceſſerit illius capax, hoc eſt letiferæ noxæ ſordibus haud infectus, deque domandis in ſe vel extirpandis terrenis affectibus ſollicitus, quique placere divino hoſpiti pro conditionis humanæ infirmitate allaboret. Experieturis quò fuerit uſus frequentior cæleſtis alimoniæ, vires in ſe creſcere ad expugnandas vitioſas inclinationes, amorem in Deum augeri. Reverentiam Majeſtatis immenſæ ſumere incrementum: quod ipſum Viri Sanctiſſimi concordibus ſuffragiis teſtantur: atque ipſi experientiâ magiſtrâ, didicerunt. Qui propter quotidianas infirmitates, leveſque noxas, aut ſpiritûs languorem, aut in peccando ariditatem bonas animas ab Euchariſtica menſa abducunt, non aliter faciunt, ac qui frigentem corpore ab igne prohibet, maculis ac pulvere ſordidum repellit à fonte, febricitantis manibus poculum ſalutiferum extorquet.

RES-

RESPONSIO.

QUi ſunt, Ampliſſime Domine quibus hęc, quaſi à candidato Rhetorices pro imperio compoſita canis ? Qui ſunt, qui cenſent frequentem, & factam debitâ diſpoſitione, quam requirit Saleſius, Communionem, parere Dei contemptum ?

Quinam mallent Barbarorum inſtar, ut ſingulis tantum annis ſemel aut iterum multitudini ſe ſpectandum Deus, ac fruendum daret ? niſi forté rurſus tam pulchro diſcurſui materiam præbuit doctrina tua Theſi majori de Euch. §. 2. : *Hinc Triumphales illæ cum ſanctiſſimo Sacramento proceſſiones : Hinc ſolemnes ejuſdem ad orandum expoſitiones : in quarum utriſque id tantum curandum, ne vel frequentia nimia vel ornatus exiguus contemptum pariant.* Et infra de conſuetudine circumferendi imagines vel reliquias Sanctorum cum venerabili, *Propter abuſum tamen*, ais, *& ubi ipſe Sanctus Sanctorum pro ornamento tantum & appendice alicujus imaginis vel reliquiæ conſideraretur à populo* (ut hodie contingit ſæpiſſimè) *meritò id à Superioribus mutaretur.*

Quis non videat per eos qui mallent Barbarorum inſtar ut ſingulis tantum annis ſemel aut iterum multitudini ſe ſpectandum Deus daret, ne frequentia contemptum pariat, obliquè perſtringi ſtatuta Synodi Mechlinienſis ſub Cardinale Granvellano anno 1570. celebratæ : *Sacroſancta*

Eucha-

Euchariſtia piè & utiliter ad populi devotionem interdum in publicis Proceſſionibus defertur, potiſſimum verò in Feſto ſacro Chriſti Corpori conſecrato ejuſque octavâ. Sed ne nimia frequentia minuat reverentiam, rarius extra prædicta tempora id fiat, & non niſi in arduis cauſis pacis & publicæ neceſſitatis. 1607. Alia Mechlinienſis Provincialis Synodus ſub Hovio idem decretum renovavit.

MIſſis igitur Medicis tam imperitis, audiamus potius Innocentium XI. Felicis memoriæ Pontificem Romanum (a) ſaniora ſuadentem. Hujus conſiliis Parochi & Confeſſarii ſtent. Juxta ſaluberrimum ejus decretum ſuos exhortentur, ut frequenter, quin etiam quotidiè Menſæ Dominicæ aſſiſtant, modò diligens accedat & tanto hoſpiti excipiendo par apparatus, choruſque Chriſtianarum virtutum.

RESPONSIO.

QUis decretum illud Innocentij XI. non veneratur? quis cum eo, cum Auguſtino & Catechiſmo Romano non hortatur: *Sic vive ut quotidie poſſis ſumere.* Utinam ab accuſantibus & illud & cætera ejuſdem Pontificis decreta tam bene obſerventur, atque inprimis damnatio horum articulorum: *Præcepto Communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Corporis Domini manducationem. Frequens Confeſſio & Communio etiam in his qui Gentiliter vivunt eſt nota Prædeſtinationis.* utinam hæc, ut oportet, obſervent ij, de quibus ipſa Amplitudo veſtra teſtatur, *Quid verò etiamnum*

(a) *Datum Romæ 12. Februarij 1679.*

eos facere exiſtimes, qui harum propoſitionum cenſuram non recipiunt, aut ſaltem ſuſque deque habent? à ſententiis ſuis modò damnatis generatim tantum recedere ſtatuerunt, quantum rigor Cenſuræ invitos cogit, multum eſt ſi non in terminis tradant. En manifeſta pro hoc veriſſimo teſtimonio exempla in ſequentibus.

NE quiſpiam poſthac, quod nonnullis in pagis & urbibus factum queruntur haud pauci, turbam promiſcuam non gravibus de cauſis fraudet etiam Communione Paſchali; in Pentecoſten aut ultra procraſtinet pro arbitrio ſuo, ac ſi eſſet Præcepti Eccleſiaſtici Dominus, nullo ſuperiorum ſæculorum exemplo.

RESPONSIO.

SIc Ergò excidere potuerunt tot exempla ſuperiorum ſæculorum, quibus fatêris in Theſi majori de pœnitentia per plures annos dilatam fuiſſe Abſolutionem Communionemq́ue? ſic tui oblitus es tuorumq́ue tot caſuum differendæ abſolutionis, qui ſupra fuêre exhibiti? an non ex iis manifeſtè ſequitur quandoque ultra Pentecoſten differendam eſſe nonnullis Communionem? Conſidera dumtaxat caſum VII. VIII. & XIII.: quid ſi ſint ex iis *qui etſi ſe omiſſuros dicunt, ſatis tamen noſcuntur non omiſſuri?* fortè ex iis *qui conſuetudine peccandi irretiti nullâ adhuc forti & firmatâ voluntate in contrarium muniti videantur?* Quid ſi nequaquam videatur habêre *amorem Dei benevolum ſaltem affectu ſuper omnia? vel ipſis enim* (Con-

patribus

patribus hujus Epiſtolæ) *teſtibus non adeò obvia eſt amoroſa illa pœnitentium diſpoſitio.* Quid ſi Dominicâ in albis benignè remiſſus & juſſus redire poſt octo dies, tantum redeat diebus Pentecoſtes nihilo melior, nec pœnitentiâ impoſitâ perfunctus? quid ſi redeat ſingulis ſeptimanis ſed quotidie in pejus? crediſne in turba promiſcua hoc accidere non poſſe?

Quam vehementer hæc Epiſtolæ Paſtoralis præcepta olent propoſitionem damnatam 55. inter 65. ejuſque officinam: *præcepto Communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Corporis Domini manducationem.* Quam benè reſpondet teſtimonio Stejartij Epiſtola Paſtoralis? *Multum eſt ſi non in terminis tradant.*

SAnè periculoſam hanc novitatem ex hac Diœceſi noſtra eliminatam volumus. Nulli Sacrâ tum Menſâ arceantur, niſi quos noverimus eſſe indignos, atque ita vitiis inveteratos, ut nuntium iis remittere recuſent, aut perquam veriſimile ſit numquam remiſſuros, quod in promiſcua plebis Chriſtianæ turba confidimus non habere locum.

RESPONSIO.

IAm exclama Eximie Domine: *Quis ſum ſi talia ſapio?* Nempè ex communi Caſuiſtarum ſententia Suarez de Sacramento pœnit. diſp. 32. Sect. 2. quærit: *quomodò debeat Confeſſor certus fieri de diſpoſitione pœnitentis?* & reſpondet poſt varia: *ex quo fit, priuſquam abſolvat, neceſſe eſſe, ut prudenter & probabiliter judicet pœnitentem eſſe diſpoſitum:*

quia

quia aliàs ſe exponeret periculo errandi, & ſine ſufficienti cognitione operaretur. Verum Caſuiſtis omnibus benignior tua Epiſtola Paſtoralis pro inaudito pœnitentium levamine decernit, ut abſolvantur extra neceſsitatem, 1. etiam ij, quos nequidem probabiliter judicat Confeſſarius eſſe ſufficienter diſpoſitos, modò non *noverit eſſe indignos*. 2. etiam *in vitiis inveterati*, modò iis *nuntium remittere non recuſent*, ſive *dicis causâ*, ſive *ut conſcientiæ turbas ſedent*, ſive ex timore Gehennæ vel *deſiderio hominibus placendi*, vel *captandi pietatis famam*, ſive *aliis motivis non melioribus*. 3. etiam tales in vitiis inveterati, de quibus etſi jam eis nuntium non remittant, tamen non eſt *perquam veriſimile numquam remiſſuros. Quod in promiſcua plebis Chriſtianæ turba*, ait Epiſtola, *confidimus non habêre locum.* Cui umquam Confeſſario, vel de maximè obdurato & conſuetudinario poterit eſſe perquam veriſimile, quod vitiis numquam nuntium remittet? quo caſu ergò illi licebit umquam abſolutionem differre? caſum illum fatêtur candidè Epiſtola Paſtoralis, *in promiſcua plebis Chriſtianæ turba confidimus non habêre locum.* Jam ergò Ampliſsime Domine honorem redde, quem abſtuliſti quampluribus dum ſcripſiſti: (a) *Laxiſsimus quiſque Caſuiſtarum admittit non paucos dari caſus, quibus neganda vel differenda ſit abſolutio. Qui ergò fieri poſſe dicas, ut tot ſint Confeſſarij promiſcuè quibuſlibet audiendis expoſiti,* quì

(a) *Ad 110. prop. concl. 89.*

Magiſtratum, Officia Conſiliariorum, Advocatorum, Procuratorum, Militum, Mercatorum, Opificum) *rectè exercêri poſſe .... quamobrem magno numero*, [ſed neminem juxta Epiſtolam Paſtoralem] *inveniet Confeſſarius inter eos, qui talia exercent, omnem vitam ferè in peccatis mortalibus duxiſſe, qui quidem abſolutionis capaces exiſtimari non debent, niſi diligentia prius accedat, quâ ſimul & ab involucris hujuſmodi liberentur, & fortiores contra peccatum reddantur. Quod ſi Confeſſarius poſuerit majorem induſtriam in iis examinandis, non dubium eſt, quin plures deprehendet, qui numquam (ut oportet) Sacramento pœnitentiæ peccata ſua expiarint.*

Similiter Saleſius 1. parte introd. cap. 6. *Accidit ſæpè, ut ordinariæ Confeſſiones illorum, qui vitam vivunt communem & vulgarem* (hoc eſt ſicut vivit promiſcua plebis Chriſtianæ turba) *magnis ſcateant defectibus: Nam aut præparatio nulla præmittitur, aut valdè exigua & Contritio neceſſaria deeſt.* Et adhuc caſum differendæ abſolutionis in Paſchate non habêre locum in promiſcua plebis Chriſtianæ turba cenſent veſtra monita paſtoralia, quæ ad S. Caroli & Saleſij doctrinam gloriamini vos *effingere* ? ſed effinxiſtis indubiè.

Meritò inſuper inculcatur, quod de Indulgentiis Synodus Cameracenſis decernit his verbis; *Præcipit etiam Synodus ut Parochi populum ſuum diligenter admoneant, ne circumforaneis quibuſdam, aut etiam impreſſis libellis temere fidem adhibeant, qui ex levibus, vanis & ſuperſtitioſis cauſis exorbitantes indulgentias pollicentur, cum indulgentiæ non niſi ex piis & rationabilibus cauſis concedi debeant.* Vide etiam, ſi libet, tuas notas ad hanc inter 65. *licet Sacramentaliter abſolvere dimidiatè tantum confeſſos ratione magni concurſus pœnitentium, qualis V. G. poteſt contingere in die magna alicujus Feſtivitatis aut Indulgentiæ.*

IAm pietatem in mortuos nemo allatret, vellicet nemo, ſed concordibus ſtudiis alant omnes, & foveant. Fructum qui ex antiqua hac in pios Manes miſericordia jam à priſcis temporibus uſitata redundat in vivos, ſæpè pro Concione commemorent. Quæ pœna immemores maneat poſt hanc vitam edoceant; ut ſimiliter ipſi in Purgatorij flammis deſtituendi ſint, qui nullos jam precibus ſuis, aut aliis rectè factis ſublevant. Ab hac Regia Antiquitatis via ne quis deſciſcat, atque avia & devia cum periculo præcipitij conſectetur.

RESPONSIO.

VIde ad hæc reſponſum ſupra ad præfationem Epiſtolæ.

CAPUT XX.

De Concordia Cleri & Regularium.

POſtremò Religioſas Familias arcto cum Clero amicitiæ vinculo conjunctas cupimus. Quiſquis hanc cum illis committere ſtudet, tamquam ſator diſcordiarum & certæ author ruinæ ex exercitu Domini, Chriſtique caſtris pellendus eſt. Omnes eidem militiæ nomen dedimus, eamdem omnes cauſam agimus, ſub eodem Duce atque Imperatore Chriſto Jeſu; omnes oppugnare jubemur ſub iiſdem auſpiciis tartareas poteſtates: & quiſquam inter nos erit qui ſacros commilitones ad inteſtina bella mutuamque internecionem concitet? Qui invidiæ atque odij ſtimulis actus, imminentis hoſtis immemor, fraternam aciem delendam atque extirpandam poſcat? Abſit à nobis is furor.

RESPONSIO.

QUam verò non abſit, ſupra in præloquio ſatis demonſtratum eſt, tum ex publica tua profeſſione, quâ vexillum extollendo exclamabas: *Nova bella elegit Deus*; & quidem affectans pugnare duobus: tum ex iniquis & clancularii fratrum tuorum accuſationibus, tum denique ex variis machinationibus adverſus etiam Regulares V. G. Præmonſtratenſes alioſque tuis ſenſis non ſatis applaudentes.

REligioſi Clerum ſuſcipiant atque habeant in honore, illius auctoritatem ne minuant, ne detrahant dignitati. Clerus viciſſim Religioſos tamquam manum ſubſidiariam

ad bellanda bella Domini divino conſilio ſubmiſſum ne deſpiciat, ne faſtidiat, ne ſuperbè conculcet; ſed junctis, ut decet, dexteris atque animis, foveat, animet, amplectatur. Ne in mutuis ſubindè vitiis velut ungues in ulceribus hæreant, nè clam propalent, quodque omnium eſt peſſimum, pro corona publicent, certi ſemper aliquid decedere populi erga ſtatum Eccleſiaſticum atque Ordinem Sacerdotalem reverentiæ ex hac mutuorum vitiorum commemoratione. Omnes ſumus ejuſdem corporis membra; quidquid uni detraxeris, in te quoque redundat. Conſtantinus Magnus Chriſtianæ Religionis Vindex egregius, Sacerdotum flagitia detegi tam ferebat indignè, ut Regiam chlamidem injecturum ſe diceret, ſi quem deprehenderet in flagranti delicto: & hâc noſtrâ ætate occultum Sacerdotis lapſum Sacerdos prodet & in ore populi dabit? Omnis Sacrorum atque Ordinis Majeſtas brevi pedibus contereretur, ſi multos corripiat hæc inſania, ſi maledicendi libido graſſetur ulteriùs. Per *Ieſum-Chriſtum* obteſtamur omnes & ſingulos, odia iſta ceſſent in manifeſtam animarum perniciem gliſcentia. Mutua privilegia aut immunitates Pontificum favore conceſſas (quandoquidem hic ſæpè maximus eſt odiorum fomes) ne violent. Præſcriptos officii limites certoſque fines ne tranſgrediantur, ſed initâ ſtabili concordiâ & vinculis, ſi fieri poſſet adamantinis firmatâ, agat unuſquiſque quod ſuum eſt.

RESPONSIO.

NOn ſatis eſt, Vir Ampliſſime, diſcordiam Cleri & Regularium verbis proſcribere, dum foves opere. Hoc demonſtrant & ea, quæ mox dicta ſunt, & tota penè hæc Epiſtola Paſtoralis, per quam cum Jeſuitis conſpiraſti in Sacerdotum ſecularium, quos Epiſtola Severiſtas vocat, nigerrimas & iniquiſſimas accuſationes, ſcilicet ad

ſtabiliendam concordiam inter Clerum & Regulares. Præterea à ſæculo non prodiit Libellus tam factus ad incendendam augendamque hanc diſcordiam, quam Flandricus ille, cui titulus ſpecioſus: *den religieuſenſtaet verdedight*, hoc eſt, *ſtatus religioſus defenſus*. Hunc author quidem erubuit ſuo nomine ſignare, ſed non erubuit eumdem ſuo nomine & approbatione 18. Maij 1692. illuſtrem reddere P. Harnæus, tuus ille 42. accuſationum Conpater, tuus tam amicus, ut nihil ſimile auderet, ſicut nemo non credit,ſi vel ſuſpicaretur Amplitudini veſtræ ingratum futurum; & tamen Libellus ille atrociter ex ſcopo præcipuo invadit in Clerum ac inprimis in Dominum Plebanum Silvæducenſem, tam enormis, ut vel ſolo tuo ſilentio, quamvis alia argumenta deeſſent, jure cenſearis eidem conſentire. En pauca ex illo ſpecimina. 1. Fatêtur quidem f. 31. *quod Civitatem Silvæducenſem attinet nullibi minus, quam ibidem, ſermo eſt de Ianſeniſtis, nam Cives nullos Ianſeniſtas noverunt.* Nihilominus ibidem f. 32. ſolemniter promulgat definitionem *Ianſeniſtæ*, definitque illos eſſe Janſeniſtas, qui tenent quinque propoſitiones damnatas Janſenij: addit plures eſſe tales Lovanij, nec pauciores in Hollandia. Præter definitionem declarat proprietates Janſeniſtarum eſſentiales eſſe: Authoritatem Pontificis vilipendere (dicit brevius, quod latius Epiſtola Paſtoralis) multò pejus tractare Epiſcopos, malè loqui de Roſario & Scapulari, & maximè

ximè de Religioſis Ordinibus, *ad exemplum Patriarchæ ipſorum Ianſenij*, abrogare velle frequentem Sacramentorum uſum, ſine ſcrupulo violare ſigillum, legere libros prohibitos, vilipendere Indulgentias, ſævire in alios, & ſibi indulgere &c.

2. fol. 78. *Si Monachi*, inquit, *nunc in Monaſteriis remanerent, quis inter vos* (ait ad Clerum ſæcularem) *tueretur Authoritatem Vicarij Chriſti? Quis leges ejus faceret ſervari? Quis præberet ſolatium tot miſeris afflictiſq; peccatoribus? Quis inſtitueret, defenderet, augeret devotionem erga Deiparam? Quis Indulgentias promulgaret &c.*

3. fol. 60. renovat probatque errorem eorum qui ſuſtinent Epiſcopos ex Sacerdotibus ſæcularibus aſſumptos non eſſe capaces *viſitandi Monaſteria & diſponendi de rebus*, inquit, *quas non intelligunt*, nec Pontificem Romanum excipit.

4. fol. 157. Et ſequentibus fusè conatur probare Religioſos etiam mendicantés quam Clerum ſæcularem aptiores eſſe ad miniſteria Eccleſiaſtica & præſertim *ad miſſionem*, inquit fol. 163. *in Provinciis Confœderatis, quod quatuor aliis ſolidis rationibus ſtabilitur.* 1. *Quia id magis expedit ipſis Miſſionariis.* 2. *etiam quoad temporalia, ipſis Fidelibus, quibus miniſtratur.* 3. *etiam quoad ſpiritualia.* 4. *id magis expedit ipſis miſſionis Prælatis.*

Hunc Libellum approbatum ab amiciſſimo tuo Harnæo expreſsè vel tacitè approbare, vel ſaltem permittere ut impunè totam Diœceſim Silvæducenſem incendat, an hoc eſt Cleri cum

Regularibus concordiam fovêre; vel funditus evertere? Nihilominus Amplitudo ſua de hac concordia dat verba pulcherrima.

DE hac Clerum inter & Religioſos Ordines concordia ſolicitus ſemper fuit S. Carolus, ſolicitus fuit & S. Franciſcus Saleſius, apprimè gnari, quantum hæc ad promovendam populi ſalutem conducat, quantum malorum conſequatur ex diſcordia animiſque mutuo odio inflammatis.

Auctores igitur Parochis ſumus, ut Religioſos viros, qui ſtatis diebus ad concionandum pagos excurrunt, hoſpitaliter excipiant, humaniterque ac benignè tractent, juxta S. Caroli Statutum; a) qui Prædicatores ab illis, in quorum Eccleſiis prædicant, hoſpitio recipi vult, *ſuppeditatis omnibus rebus ad eorum victum neceſſariis, datâ etiam Eleëmoſynâ aliquâ ex fructibus beneficiorum*; quando nempè id Parochi ſors, ac conditio aut tempora permittunt, alibi præſcribit, ut in congregatione Paſtorum. (b) *Si ei Parochiæ propè erit aliquod Regularium Monaſterium, ubi aliquis ſit ad Sacrarum Litterarum Eccleſiaſticarumq; rerum explicationem aptior, curent etiam illius opera atque ſtudio adjuvari.*

Quodam loco decernit atque hortatur idem Sanctus, *ut Superiores Regularium, temporibus*, quibus ut plurimum populus ad Confeſſionis Sacramentum confluit (c) *procurent quantum potuerint maximum numerum Confeſſariorum.*

RESPONSIO.

MUlta præcipis de excipiendis commodè à Parocho Regularibus: parum contra abuſum, quo non rarò vim patitur approbata à Pontifice declaratio Cardinalium facta 8. Martij 1681. quâ cenſuit *nullum jus competere Patribus Societatis Ieſu in Eccleſiis invito Parocho, nec in aliis invito*

(a) *Concil. Mediol. 1. tit. 5.* (b) *Ibid. 3.* (c) *Inſt. p. 2. c. 2.*

invito tutelari. Item *Parochos teneri per ſeipſos docere.* Notum eſt, Vir Ampliſſime, quomodo jura Cleri ſæcularis etiam ab Illuſtriſſimo Domino Bruggenſi Prædeceſſore tuo ex commiſſione S. Congregationis ſancita, ſinas (quæ tua eſt cum Religioſis concordia) calcari à Miſſionariis in tua Diœceſi Regularibus. Jam cauſa D. Plebani Silvæducenſis ad S. Congregationem delata eſt, atque hæc etiam inter alias fortè non contemnenda ratio eſt, cur Romanum iter tantoperè perhorreſcas.

CONCLUSIO.

HAbetis quæ mihi viſa ſunt in Domino potiſſimum præſcribenda hoc tempore, quæ ſi eâ, quâ decet obſervantiâ omnes ſuſcipiant, ſimiliquealacritate executioni mandent, nullus erit querimoniis locus, Eccleſiaſtica diſciplina ſarta, tecta conſervabitur, facilè coibunt vulnera brevique ducent cicatrices: non pendebit animis Chriſtiana plebs, neque ſtudiis partium tamquam factionibus diſtrahetur: Schiſmatis imminentis periculum evaneſcet: vigebit pax & concordia, neque poſthàc Heterodoxi nobis exprobrabunt quod Majores noſtri in Lutheranos & Calviniſtas juſtiſſime olim intorquebant, nos tamquam Cadmæos Fratres mutuis digladiationibus & vulneribus concidere.

RESPONSIO.

HAbes, Ampliſſime Domine, Epiſtolam Amplitudinis veſtræ collatam cum Doctrina Eximij D. Stejartij: vide quantum à veritate & à teipſo deſciveris; vide quam duplicia, con-

ſtaria, & plena diſcordiæ dixeris. Seriò & ex intimo corde ſine longâ & fictâ apoſtrophe te rogo per ſalutem tuam & plurium aliorum, redi ad pacem & veritatem, quam deſeruiſti. Si redis, tantum & amplius omnibus veritatis amantibus amatus eris, quam aliquando fuiſti. Nullus erit querimoniis locus, Eccleſiaſtica Diſciplina ſarta tecta conſervabitur, facilè coibunt vulnera, ceſſabit ſtudium partium, vigebit pax & concordia, unanimi conſenſu pro defenſione veritatis & Eccleſiæ & animarum ſalute laborabitur.

DEus pacis & conſolationis ſit cum omnibus Vobis, quæque ſunt Eccleſiæ ſuæ hâc miſerâ tempeſtate ſalutaria, atque unicè neceſſaria, Spiritum diſciplinæ, Spiritum manſuetudinis, Spiritum obedientiæ erga Præpoſitos veſtros, Spiritum humilitatis & ſinceræ devotionis, Spiritum veri amoris & charitatis in proximum inſpiret cordibus Veſtris & cæleſti ſuâ gratiâ augeat, atque in finem confirmet, ut cum venerit *Princeps Paſtorum & Epiſcopus animarum veſtrarum* Chriſtus-Jeſus, *percipiatis immarceſſibilem gloriæ Coronam*, quam omnibus & ſingulis precamur ex animo.

Mechliniæ in Palatio Noſtro Archi-epiſcopali
12. Octobris 1692.

HUMBERTUS GUILIELMUS
Archiepiſcopus Mechlinienſis.

RESPONSIO.

PRo benevolis votis gratias maximas & vota paria toto corde rependo.

TESTI-

TESIMONIUM
SANCTISSIMI D. N.
INNOCENTII PAPÆ XII.

QUod attinet ad *Epiſtolam Paſtoralem*, de qua prædictis in litteris ſoqueris, zelum tuum jam pridem commendare non omiſimus.

Ex Brevi Apoſtolico ad nos dato die 27. Septembris ultimi, quod ſe refert ad alind Breve antehac ad Nos datum.

RESPONSIO.

QUam vana ſit gloria ex hoc tèſtimonio ſupra ad titulum oſtenſum eſt: imò quantâ Sedis Apoſtolicæ injuriâ contendas teſtimonio illius laudatam eſſe hanc Epiſtolam, patet ex tot tantiſque iniquis accuſationibus erroribuſque, quantos eâ contineri eſt demonſtratum.

FINIS.

Fol.	*Line*	*Errata*	*Corrige.*
15	27	Fcultatis	Facultatis
37	penult.	anxiettes	anxietates
Ibid.	ult.	pernicißæ	perniciosſæ
56	7	qui talia	ſi talia
69	1	citaum	citatum
81	penult.	reſtringere	perſtringere
92	24	coluerunt	coluerint
98	7	qui	ſi
99	27	tepeſcat	ne tepeſcat
118	21	etiam	enim
123	17	ſicut	ſic ut
131	9	veluti quæ	veluti res quę

Poſt folium 160. reliqua cifera male poſita eſt ſcilicet decem minus quam oportet.

A01 1470722